

L. 76. **Sammelband**







PALAEPHATI
INCREDIBILIA,
VARIORVM NOTIS,

&
DOCTRINIS MORA-
LIBVS
recensuit

M. PAULVS PATER,
HUNGARVS.

FRANCOFVRTI.
ex Officina MEYERIANA.

C.H.


2.
DOCTRINÆ
MORALES

AD

PALÆPHATI
INCREDIBILIA



F E N Æ,
APUD Johannem Meyerum.

ANNO M. DC. LXXXVII. 

Handwritten text in a Gothic script, likely a title or heading, appearing as a faint watermark or bleed-through from the reverse side of the page.



DOCTRINAE MORALES

ad

CAP. I.

DE CENTAVRIS.

I.



Centauri, Thessaliae populi biformes, multam eamque variam in formandis moribus doctrinam nobis exhibent. Ac primum quidem genuinam exprimunt *imaginem voluptuosorum* hominum, dies ebrietate, noctes vero libidinibus distinguunt, unde foedissima monstra procreant, quae figuram quidem hominis retinent, sensum vero & rationis usum turpiter euertunt. His *Orator Apostolicus* grauer intonat *Gal. V, 21. Quod talia agentes Regnum DEI non sint consecuturi.* Vah breuem, sed aeternam duraturam clausulam! Idem Centauri liberorum educationis ideam sistunt. Si enim disciplinam neglexerint parentes, in beluam liberi eorum, alius in taurum, alius in indomitum equum desinent: vt, veros Centau-

DOCTRINÆ MORALES

ros se genuisse, conqueri aliquando necessum habuerint. Præterea per Centauros docemur, prodigiosæ corporis formæ raro inesse virtutes, vtut quandoque aliquis reperiatur Socrates, Æsopus, vel etiam Chiron, qui ob æquitatem, ex ipso Centaurorum agmine, sideribus adscribi mereatur. Diabolus etiam, dum insidias hominibus struit, Centauri personam agit. Nam prima fronte, vario blandimentorum genere, gratam iucundamque peccati speciem offert, & vel sub Angeli sæpe forma, bona salutariaque docendo, mortalibus illudit: quo admissio, sæuissimam deinde belluam, calcitrantem ac ferocientem equum, imitatus, miserimi hominis mentem & conscientiam insultibus indefessis petit; ac tandem, vbi viribus præualere potest, in desperationis præcipitium adigit depellitque. Porro, cum ex Nephele, hoc est, e nube, fingantur producti Centauri, prauas hominum cupiditates nobis ob oculos ponamus, quæ, cum prius, veluti nubes, mentem ac rationem sanam obnubilant, tandem in semiferas horrendasque actiones erumpunt.

II. Iam, e Centaurorum factis, obseruare quædam, animus est. Quæ inter alia Palæphatus noster refert, quod acceptis ab Ixione, propter præstitum contra tauros auxilium, pecunia & diuitiis, arroganter gloriantes, *contumeliosi* exstiterint & *superbi*, ac plurima mala perpetrarint, etiam contra ipsum Ixionem. Ea enim

enim rerum secundarum atque faustorum successuum velut natura & proprietas est, ut fortunam fauentem ferre nesciant mortales, sed subinde insolescant, & fastuosi alios despiciant, nec sese continere nouerint. Inter ea, quæ Valer. Maximus *Lib. IX. Dictorum Faetorumque memorabil. Cap. V.* congeffit exempla, iuratus ille Romanæ gentis fortunæque hostis & inuasor, Hannibal, cæteris eminent, de quo ille affirmat, quod *Cannensis pugnae successu elatus, nec admiserit quenquam ciuium suorum in castris, nec responsum ulli, nisi per interpretem, dederit. Maharbalem etiam, ante tabernaculum suum, clara voce affirmantem, prospexisse se, quoniam modo paucis diebus Roma in Capitolio cœnaret, aspernatus fuerit.* Qua in re verissime statim exclamat Maximus: *Adeo felicitatis & moderationis diuiduum contubernium est!* Maior tamen insolentia capit homines, ubi ad secundas prosperasque res simul opes accedunt ingentes. *Postquam enim diuitie honori esse cœperunt, (hîc loquar pulchris Sallustii verbis in Bello Catilinario) & eas gloria, imperium, potentia sequebatur: bebescere virtus, paupertas probro haberi, innocentia pro malivolentia duci cœpit. Igitur ex diuitiis iuuentutem luxuria atque auaritia cum superbia inuasere. rapere, consumere, sua paruipenderz, aliena capere; pudorem, pudicitiam, diuina atque humana promiscua; nihil pensi, ne-*

A a 2 que

que moderati habere. Exempla producamus ex Sacris Reges Iudæ, Amasiam, patrem, & filium, Ofiam, quorum ille belli fortuna elatus, armis deinde cum Rege Israelitarum experiri & configere, monitus etiam, non destitit; sed malo suo rei que publicæ maximo. Ilte vero, rebus e sententia subinde gestis, Sacra quoque, solis ex Aaronis familia Sacerdotibus commissa, inuasit, & thura voluit adolere; malo itidem suo ingenti, a DEO lepra propterea punitus. *Vid. II. Chron. XXV. & XXVI.* Pausaniam, Lacedæmoniorum Ducem, referunt Historiæ, a Persis reportata victoria, & contra Barbaros expeditionem facientem, *patri*, qua contra Persas, *usum felicitate*, elatius se gerere cœpisse, *maioresque appetere res*: molitumque, ut Regi Persarum, Xerxi, Spartam & cæteram Græciam in eius potestatem redigeret. Sed quam misere fame necatus interierit, est legere præ aliis apud Cornel. Nepotem *in eius vita Cap. II.* Quare *in rebus prosperis*, & ad *voluntatem nostram fluentibus*, *superbiam magnopere*, *fastidium arrogantiamque fugiamus.* Nam & *adversas res*, sic *secundas immoderate ferre*, *leuitatis est*: *præclaraque est equabilitas in omni vita*, & *idem semper vultus*, *eademque frons.* --- Ut recte præcipere videantur, qui monent, ut *quanto superiores simus*, *tanto nos summissius geramus.* Panætius quidem, Africanum, auditorem & familiarem suum solitum, ait, dicere:

cere: ut equos, propter crebras contentiones pra-
 liorum ferocitate exsultantes, domitoribus tra-
 dere soleant, ut his facilius possint uti; sic
 homines, secundis rebus effrenatos sibi que presi-
 dentes, tanquam in gyrum rationis & doctrine
 duci oportere, ut perspicerent rerum humana-
 rum imbecillitatem, varietatemque; fortuna. Et hoc
 quidem e consilio iudicioque eloquentissimi
 pariter ac prudentissimi Ciceronis, Lib. I. Of-
 ficior. Cui consonat Venusinus Vates Lib. II.
 Carm. Oda III. & X. ubi suavi sua lyra sic
 canit:

*Æquam, memento, rebus in arduis
 Servare mentem, non secus ac bonis,
 Ab insolenti temperatam
 Latitia, moriture;
 Seu mæstus omni tempore vixeris,
 Seu te in remoto gramine per dies
 Festos reclinatum bearis
 Interiore nota Falerni. &c.*

Namque

*Auream quisquis mediocritatem
 Diligit, tutus caret obsoleti
 Sordibus tecti, caret invidenda
 Sobrius aula.
 Sæpius ventis agitatur ingens
 Pinus; & celsæ grauiore casu
 Decidunt turrets: feriuntque summos
 Fulmina montes.*

*Sperat infestis, metuit secundis
 Alteram sortem, bene preparatam
 Pectus. informes hyemes reducit
 Juppiter, idem
 Summonet. non si male nunc, & olim
 Sic erit!*

Idcirco

*Rebus angustis animosus atque
 Fortis appare: sapienter idem
 Contrahes vento nimium secundo
 Turgida vela.*

III. Iniquissimum Centaurorum factum & illud quoque a Nostro recensetur, quod, a Lapithis ad conuiuium inuitati, ubi vino incauere, rapuerint illorum mulieres, contra *ius fasque hospitii*, quod sanctissimum apud Gentes omnes habetur, affirmante Tullio in *Verrem Orat. VII.* Ut verum fecerint illud Ouidii, quo

- - - non hospes ab hospite tutus

pronunciatur *Lib. I. Metamorph.* ubi canendo pergit:

*Non socer a genero; fratrum quoque gratia
 rara est.*

Prioris effati nobis exemplo est ingratiissimus Simonis Maccabæi, Principis ac Summi Pontificis Iudæorum, gener, *Ptolemæus, Abubi filius, agro Hierichuntio præfectus.* Is enim, cum

argenti auriq̄ue multum haberet, tantos sibi spiritus sumpsit, ut regionem occupare, & Simonem socerum, eiusque filios, per dolum de medio tollere decreuerit. Itaque cum Simon, regionis oppida peragrans, & eorum administrationis curam gerens, ad Hierichuntem, una cum Mattathia & Iuda, filiis suis, descendisset, ibique diuertisset, excepit eos malitiose ille Abubi filius, in paruum quoddam castellum, qui Docus appellatur, quod ipse exstruxerat; magnumque eis conuiuium edidit, & certis hominibus illic collocatis, postquam Simon, & eius filii potando satiati sunt, surrexit cum suis Ptolemaeus, sumptisque armis, ad Simonem in cœnationem ingressus, ipsum cum suis duobus filiis, & quibusdam pueris, interfecit. Ita hoc tantum scelus commisit, & bona malis pensauit Ptolemaeus. Quod ex tersæ Latinitatis Versione Sebastiani Castellionis huc transferre placuit, e Libro I. Maccab. Cap. XVI, II. seqq. Posterioris autem pronuntiati veritatem confirmat in Sacris Absalom, qui fratrem, Amnonem, similiter conuiuium a se exceptum, vinoque exhilaratum, interfici iussit. Videatur II. Sam. (Reg.) XIII. v. 28. Sed quemadmodum DEUS hospitalitatem largissime muneratus legitur, veluti paulo infra Cap. V. Obs. II. docemus: ita grauissimis quoque pœnis affecit Iuris hospitii violatores. Ptolemæum enim, scribit Flavius Iosephus Antiquit. Iudaicar. Lib. XIII. Cap. XV.

ab Hyrcano, Simonis interfecti filio, acri oppugnatione pressum, tandemque fuga elapsum, apud Zenonem, cognomine Cotylam, Philadelphensium vrbis tyrannum, extorrem egisse. Absalom vero fuga quoque triennii vitæ salutique suæ consulere necessum habuit inter peregrinos: ac post, ob alia quoque, quæ accedebant augebanturque, scelera, vitam, ex infelici quercu, pondus pendulum, miserrime finiit, *II. Sam. (Regum) XIII, 38. Cap. XVIII, 9. 14. 15.* Inter eiusmodi datarum violati Iuris hospitii pœnarum indicia Mithridates, quoque referendus censerur. Is enim *vna epistola octoginta millia ciuium Romanorum, in Asia per vrbes negotiandi gratia dispersa, interemit, tan- taque prouinciæ hospitales Deos iniusto, sed non inulto cruore resperfit. Quoniam cum ma- ximo cruciatu, veneno repugnantem spiritum suum tandem succumbere coegit. Simulque pia- cula crucibus illis dedit, quibus amicos suos, auctore Gauro, spadone, libidinosus obsequio, scelestus imperio, affecerat. quemadmodum ele- ganter loquitur Valerius Maximus Lib. IX. Cap. II.* Longe moderatioris animi fuisse *Quinctium Crispinum, hospitem, erga hospitem Badium Campanum, legimus, quem & hospitio be- nignissime domi suæ exceperat, & aduersa va- letudine correptum attentissima cura recreaue- rat: a quo in acie ad pugnam prouocatus, mo- nere ingratum, quam vincere maluit Crispinus,*

&

AD CAP. I. DE CENTAVRIS. 9

& graui oratione eum allocutus, tandem in hæc verba prorupit: *Tuum crimen erit, hospitem occidere voluisse; meum non erit, hospes occisus. Proinde aliam, qua occidas, dexteram quære, quoniam mea te seruare didicit.* Quod prolixius paulo videri potest apud eundem Valerium, *Lib. V. Cap. I.* qui pœnam & præmium vtriusque hunc in modum ibidem recensendo annectit: *Dedit vtrique cœlesti Numen debitum: siquidem in eo prelio Badius obtruncatus est, Quintius insigni pugna clarus euasit.* Cæterum de insigni hospitalitatis virtute paulo infra *Cap. V. Obs. I. & II.* agimus. Et *Conf. Cap. XLVI. Obs. III.*

CAP. II.

DE PASIPHAE

I.

Turpissimam aggressurus de Pasiphæ fabulam, in limine statim cum *Marone* non dubitabo eam ex *Ecloga VI.* inclamare:

Ab virgo infelix, quæ te dementia cœpit?

Prætidēs implerunt falsis mugitibus agros,

At non tam turpes pecudum tamen vlla secuta est

Concubitus: quamuis collo timuisset aratrum,

Et saepe in leui quasisset cornua fronte.

Ab virgo infelix!

Quaquam autem hæc obscœna satis fabula sit, & auribus, oculis & linguis Christianis indigna; non tamen sua morum doctrina caret. Videmus enim, quanta *vis* quantusque *furor* sit *libidinis*, vt nec ab eis sceleribus, a quibus cæteroqui ratione destituta animalia, natura duce, abhorrent, homines, brutis hoc pacto longe deteriores, abstinere faciat: quum, victa semel ratione sana,

- - *flagrans amor, & libidō,*
Quæ solet matres furiare equorum,
Seuiet circa iecur ulcerosum;

vt Horatius canit *Lib. I. Carm. Oda XXV.* Quam similitudinem ab equis, libidine furentibus, etiam Spiritui Sancto apud *Ieremiam* visum est usurpare, vbi *Cap. V, 8.* de proceribus populi Iudaici affirmat, eos esse *equos saginatos matutinos*, qui, obseruante Castalione, in sua *Bibliorum versione*, hîc loci, mane, collecto per noctem femine, sunt libidinosiores; alios in aliorum uxores *adhinnientes*. Est enim *libido* alter inter duos illos maxime periculosos scopulos, quos *Mythologus* ille *Comes* quam commodissime ita vocat, & alterum *iram* facit *Lib. VIII Mytholog. Cap. XXIII.* in quos, deuitandum est, ne humana vita illabatur, quando uterque horum affectuum potest quemuis, nisi moderatus existat, in apertissimam perniciem, tanquam in duos marinos scopulos, *Scyllam & Cha-*

Charybdim, impellere, atque illidere. Nam sicut tanta vis est irae, ut vel in res, anima sensuque carentes, excitet, & in ferrea artis instrumenta inflammet si opus artis parum feliciter, ob imperitiam, succedat, & ad contumelias lapidi, vel ferro, vel ligno dicendas, nihil ipsis rebus homines prudentiores: sic amor facit, cum sit quoddam animi delirium, si immoderatus existat, ut neque nobilitatem maiorum, neque maiestatem imperii, tantilli faciant plerique, neque intelligatur, his motibus agitato ceteris omnibus derisum & contemptum iri. Nam sic virtus & illa animi diuinitas, quae rerum omnium pretiosissima est, & DEO gratisima, contaminatur, & conculcatur, captiuaque ab amore, quolibet, trahitur. Facit enim amor, ut turpia, deformia, tristia, damnosa; letissima, utilia, pulchra, honesta atque laudabilia videantur. Haecenus eleganter Mythologus. Et certum est, quod, sicut nulli hominum libidini se dedere, fas est & licitum; ita in illustribus & clarissimis cum viris, tum foeminis, (qualis hic Pasiphae fuit, vxor regia) non sine maxima famae, familiae ac maiestatis ignominia, eo magis aduertatur hoc vitium, quo magis sese impune facere posse, quod velint, sunt persuasi. Nam verissime dixit Poeta Iuuenalis, Satyr. VIII.

*Omne animi vitium tanto conspectius in se
 Crimen habet, quanto maior, qui peccat, habetur.*

Eun-

Eandem impune agendi licentiam quoque propudiosæ libidinis mulier, Iulia, Antonini Caracallæ, Cæsaris Romani nouerca, visendæ alioqui formæ foemina, ei pessime persuasit. Cum enim ipsa aliquando, quasi ex incuria & nullo destinato consilio, sese in conspectu Cæsaris denudasset, Cæsari, *quam vellem, si liceret*, dicenti, mox suggestit: *Si libet, licet. Anescis, te Imperatorem esse, leges dare, non accipere?* Vid. Ælius Spartianus *in eius vita*. Sed vero tales sibi bene in memoriam reuocent illud Nasonis *Lib. II. Metamorph.* vbi inquit:

Non bene conueniunt, nec in vna sede morantur,

Maiestas & Amor.

Quinimo maxime cogitent rigidissimam diuini Iudicis sententiam, quam talibus, excelsi solii præfidibus, Sapiens Vir *Libro Sapientie Cap. VI. v. 4. 5. 6. 7.* dictatam consignauit, inquit: *Vobis sane a DOMINO imperium, a Supremo potestas est data, qui vestra & facta excutiet, & consilia examinabit. Quod, cum essetis eius regni ministri, non recte iudicaueritis, neque legem exsecuti fueritis, neque vos gesseritis ex DEI voluntate. Ille vos horribiliter & celeriter inuadet: nam in excellentissimos quosque seuerissimum exercebitur iudicium. Etenim infirmi venia digni sunt; at in potentes animaduerteretur.* Conferantur huc ea, quæ infra *Cap. V.*

V. Obs. IV. & Cap. XIV. Obs. I. & II. continentur.

II. Porro nostra Historia docet, ut cautissimam parentes & mariti habeant *filiarum uxorumque* suarum *curam*, quo hæ pudice, illæ vero caste semper viuant, conuentusque virorum & iuuenum solícite vitent. Fieri enim perquam facile potest, ut, vel stimulante natura, quæ ipsis præ viris mollior est, amore corripiantur ipsæ, vel blanditiis iuuenum allectæ, pudicitia iacturam faciant, ignominia & periculis plenissimam. Quod exemplo suo testatum fecerunt Taurus & Pasiphae. Pronum enim est hominibus, eorum affectibus ac ingenii sese conformari, quorum societate vtuntur: siquidem *a conuersantibus sumuntur mores*, inquit Seneca *Lib. III. de Ira*. Et in primis qui se improbis immiscet, necesse est, eadem pati & agere, quæ tales agere, & loqui, inter se didicerunt, pronunciant Platone *Lib. V. de Legibus*. Cui paria profert Agapetus in *Epistola Paræn. n. 29.* ubi: *Expedire admodum*, inquit, *arbitror, effugere prauorum contubernia: qui enim cum hominibus improbis semper versatur, eum vel pati, vel discere malum aliquid, necesse est; qui vero una cum bonis degit, vel imitationem honestorum edocetur, vel diminutionem vitiorum condiscit.* Maxime tamen virorum mulierumque frequens commercium vix sine pudicitia periculo, si non plane læsione, coniunctum

etum est. Quare hinc sollicita cura custodiaque semper opus est quam diligentissime: quod de Græcorum fœminis affirmat *Nepos* in Præfatione, *Vitis illustrium virorum* præmissa: quod ea neque in conuiuium adhibita fuerint, nisi propinquorum: neque sederint, nisi in interiore parte adium, quæ gynæconitis appellabatur, quo nemo accesserit, nisi propinqua cognatione coniunctus. Gravissimam e *Petrarcha* de filia impudica *Dialog.* 23. *Michael Pexenfelder* in *Ethica Symbolica*, *Symbolo XLVII.* p. m. 260. affert admonitionem, dum Sapiientis istius Viri ore ita loquitur: *Lasciuire incipit filia: lautas dapes & vestes illi molles ac fulgidas, annulosque & armillas detrahe, & quidquid est aliud, quo & ipsa sibi placeat, & placere aliis studeat: obiice illi domesticas curas, pensa, acus, & colos, & si quid est operis, quod suaues & molles manus in callum duret: seduc illam a spectaculis, a concursu populi: festis etiam diebus domi contine; nullum vagis & discolis cogitationibus tempus relinque.* Quibus verbis Vir ille sapienter prolixiusque paulo explicare sine dubio voluit sententiam *Siracidis*, qui *Cap. XXVI.* 13. 14. ita infit: *Filia seuerissimam adhibe custodiam, ne, nata licentiam, utatur sua libidine. Oculum impudentem obserua, & noli mirari, si in te deliquerit.* Priscis temporibus, effrenem hanc mulierum petulantiam, tremendo zelotypiæ potu, compescere supremo illo castitatis conjugalis vindic-

dici visum fuit, vt, præcisa sic omni impunitatis spe, si non amore castitatis, saltem formidine poenæ, ne populo fierent ludibrio, a violatione thori, Iudæorum absterrentur foeminae. *Numer. V, II. seqq.* Quod si idem ritus nostris obtineret moribus, actum foret de simulata multarum castitate. Vide omnino ad citatum caput Virum sacrae & profanae antiquitatis linguarumque orientalium peritia nemini secundum, & probitate orationis, cum venerando Genitore suo paria hodie Vratislaviae facientem, *Andream Acoluthum*, in laboriosis & a *Cl. Belgarum Saldeno* aliisque prius laudatis *Comment. de Aquis amaris*, Lipsiæ 1682. vulgatis, *Cap. III. §. I. seqq.* & passim. Sed hac de re pluribus agendi occasionem infra nacti sumus *Cap. XV. Obs. III.*

III. Ex facto Dædali, quo lasciviæ promovendæ gratia ligneam fabricasse fingitur bovem, doctrinam morum, *artium etiam optimarum quandoque pessimum abusum esse*, evolutam infra sistimus *Cap. XVII. Obs. II.*

IV. Insuper a Tauro puero discimus, *generosam* ab illustribus insitam parentibus *indolem & virtutem* nequaquam ad vilia & servilia sese demittere; sed, instar ignis, qui angustis locis neutiquam teneri potest, sed ubique actuosissime penetrat, & altum petit, sublimia subinde cogitare, occipere, perficere. Ipse enim, cum ex Tauro, quem belli Ducem fuisse, ali-

aliqui affirmant, & Regina Pasiphae natus, a Minoe, ceu nothus filius, non quidem vita priuatus, in montem tamen ablegatus esset, vt famuli vice subesset pastoribus; nequaquam illis morem gerere voluit, tanquam excelsæ indoli suæ indecorum. Et vbi fieri animaduertisset sibi insidias, in montes secessit, & cum alio non posset modo virtutem bellicam exercere, rapiendo pecudes vitam sustinuit. Ita namque

*Fortes creantur fortibus, & bonis
Est in iuuenicis, est in equis, patrum
Virtus; nec imbellem feroces*

Progenerant aquilæ columbam;
canente Horatio *Lib. IV. Carm. Od. IV.* Cyrum puerum, sed Periarum deinde Regem, similem in modum inter pastores vitam agere coactum, non nisi regia munia, regiae suæ naturæ conformia, inter pastorum pueros obiisse, memoriæ prodidit Iustinus *Lib. III. Cap. V.* In primis de eius excelsa & præclarissima indole, quæ sese a teneris statim exseruit, testatur Xenophon, cum *Lib. I. Cyropæd.* de eo refert: *Fuisse animo præditum humanissimo, & discendi adipiscendique honoris auidissimo, adeo, vt nullum non laborem perferret, nullum non laudis gratia periculum adiret. Sunt enim ingenii nostris innata virtutum semina: quæ si adolescerent, nos ad beatam vitam perducerent,* pronunciant Tullio *II. Tuscul. Quest.* Et hæc

NA-

Nature sequitur semina quisque sua,
 ceu loquitur Catullus. Ut itaque in serendis
 arboribus conspicuae nobilitatis sumitur surcu-
 los; propagandis domesticarum animantium fa-
 milijs generosa parentum spectatur indoles: ita
 mores & virtutem hominibus a stirpe generis
 infundi, praclare disserit Edo Neuhufius, in
Theatro Ingenii humani Lib. II. Cap. XII. p. m.
 228. vbi exempla familiarum, nec non natio-
 num integrarum, peculiari eminentium indo-
 le, percenset. Non iniucundum Lectori be-
 neuolo futurum, puto, si grauem illam oratio-
 nem Ottonis Casmanni, diuina viri virtute in-
 geniique praestantia, & eiusdem Theatri *Lib. I.*
Cap. XIX. p. m. 337. huc referam; qua ipsius
 Neuhufii egregiam indolem deprædicare, & ad
 altiora prouehendum excitare voluit. Cum
 enim ab eo Neuhufius, alio sub sole calentes
 oras inuisurus, discederet, iniecta ille manu
 abeunti salutem impertiuit, ac inter mutuas
 valedicentium comprecationes, fluentibus va-
 trinque oculis: *Fili, dixit, talem te in omni vi-*
ta gere, qualem te natum & educatum
tenes. A stirpe tui generis & parentum san-
guine; qui sui auitque nominis honore, & in-
nocentiae existimatione domi floruerunt; pulcher-
rimae virtutis indolem trabis. A me decem an-
norum cura praecipis que habes, ut inchoatum
a natura opus exstrueretur, promotaque insite
bonitatis vi & rectas artes, & honestatis studia

*inde a teneris assuesceres. Illinc semina accepisti & fundamenta nascitura feliciter virtutis. Hinc cunabula, & manum Præceptoris obstetricantem, in sequuturam aetatem imagine modestiæ delineata. Tu diligentem da operam, ut dignus tua indole, dignus mea institutione, ac sanguine, quo te propinque attingo, cum aetate adolescas. Quantos stimulos isthæc Casimanni seria exhortatio in animo Neuhusii reliquerit, ipse porro de se commemorat, dum scribit: Divina paterrimi Præceptoris verba, & Auunculi memorabilis monitio; quæ mihi in intimum defecit pectus, & posita frequenter ante oculos ad persequendum fortiter eruditæ virtutis curriculum, in quod illo duce atque authore descenderam semel, vehementissime me incitavit. Concluditque tandem, paucis interiectis, p. 338. huic in modum: Recte sapientissimus Vir, mores bonos a parentibus ingenerari; cura disciplinaque præceptorum expoliri, & ad perfectionem ac maturitatem deduci, sensit. Neque enim unquam quisquam aut magna virtute excelluit, aut præclarum ab eruditione nomen gessit, qui, ad obeunda magnarum rerum munera, non natura factus, ut singulari cura doctus esset. Refragante ingenio, & nouercante Minerua frustra quisquam in rebus etiam minimis laborabit. Nec tacenda est Alexandri, cognomento deinde Magni, diuinitas quædam indolis, ac strenuæ virtutis inexplebilis amor, quæ ex supplemen-
to*

to Curtii *Lib. I. Cap. II.*, non sunt ignota. Cum primis memorabile censetur, quod, cum Praceptor, Aristoteles, eum moneret, *ne, ante aetatem maturam, bellorum negotiis & parandae gloria occasione se implicaret*, ei aliquando responderit: *Μὴδὲν ἀναβάλλομεν*, *Nil procrastinandum.* Similia in puero, Emilio Lepido, supra aetatem bellicae virtutis non tam laudem, quam specimina, mirificis refert verbis Valerius Maximus, *Lib. III. rer. & gestor. memorab. Cap. I.*

CAP. III.

DE ACTÆONE.

I.

Ex hac tota, quemadmodum a *Palephato* nostro recensetur, fabula, docemur, *Venationis studium*, cæteroquin vile, iucundum ac valde necessarium, secum quoque multa simul damna & incommoda inuoluere, si nimio opere, ac, veluti Actæon, neglecta rei domesticæ cura, aliisque feriis, pertractetur. Præter eam enim, quam habet, generosam voluptatem, & in extirpandis feris sæuis ac noxiis occupatam, eamque necessariam, utilitatem, etiam hoc emolumenti habet, quod & animo & corpori mirum in modum conducat, & a vitiis, maxime libidine, retrahat. Etenim

Otia si tollas, periere Cupidinis arcus.

(*Quid. libro de remed. amor.*) Hinc etiam Dia-

B b 2

na,

na, venationis apud Ethnicos Dea, perpetuam
 seruasse castitatem, dicitur, eo, quod nun-
 quam otiosa fuerit, & semper venatibus indul-
 ferit. Exemplum quoque laudatissimum no-
 bis sistit Xenophon in Cyro suo, optimo Prin-
 cipe, quod verbis Lipsii in *Exemplis Politicis*,
Cap. XVI. placet referre: *Cyrus Persarum, or-
 be toto laudatissimus, virtutes suas, praesertim
 continentiam, debebat venationi, qua a puero se
 exercuit. De eo memoratus historicus, cum, in-
 quit, Penthea, formosissima feminarum, capta
 esset, atque ad eum adducenda, vetuit; ne vel
 oculis castitatem matronalem & suam violaret,
 atque Anispo, ex amicis suadenti, adire eam, &
 alloqui; esse enim mulierem insigni forma, & Re-
 gis plane oculis dignam: ob isthoc, inquit, ma-
 gis est, ut abstineam. Etenim si nunc illam ad-
 iero, cum vacat; fortasse illa efficiet, ut ad eam,
 etiam cum non vacat, eique assideam, neglectis
 rebus setiis. Vox digna Principe, & forti, &
 casto. Hæc ille. Eosdem apud Persas laus
 summa fuit etiam fortiter venari, sicut Nepos
 loquitur in *Alcibiade Cap. XI.* Vid. Xenophon
 in *Cyropæd. lib. I.* & *Briffon. de Regno Pers. Lib.
 II.* Vbi autem majores in canes, equos, fer-
 uos, instrumenta venatoria, quam res familia-
 ris patitur, fiunt sumptus, & pro ingentibus
 expensis vna alteraque fera, mensæ & palato in
 pulpamentum apponitur, simul cum pretiosis-
 sima temporis iactura, & damno, a feris sæpe
 cor-*

corporibus inferri metuendo, etiam egestas & inopia velut e vestigio sequuntur. Ut adeo quam verissimi sint versus vulgati, quos Græco idiomate legas licet supra in *Notis ad Cap. XXVI. pag. 110.*

Ædificare domos, & corpora pascere multa,

Ad paupertatem proximus est aditus.

I. Plurimum etiam refert, ut videamus, quibus & quo pacto beneficia nostra exhibeamus. Id quod summæ Vir prudentiæ pariter ac eloquentiæ Tullius nos docet: *Beneficentia, inquit, ac liberalitate nihil esse naturæ hominis accommodatius, sed habere multas cautiones. Videndum est enim, primum, ne ubi sit benignitas & iis ipsis, quibus benigne videbitur fieri, & ceteris: deinde, ne maior benignitas sit, quam facultas: tum, ut pro dignitate cuique tribuatur. Id enim est Iustitiæ fundamentum, ad quam hæc referenda sunt omnia. Quod pluribus ea, qua solet, facundia & eruditione lib. I. Offic. persequitur. In impios enim & maleficos si conferamus, quid aliud est, quam ut Actæoni similem in modum, a canibus istiusmodi ingratis si non dentibus ipsis dilanemur; alia tamen incommoda perquam multa corpori, vitæ bonæque famæ nostræ accersamus. Plura in hanc rem infra.*

III. Insuper etiam suis Palæphatus noster verbis gravissimam ponit admonitionem, *ne contumelia diuinum* (quod nobis Christianis v-

num illud simulque trinum est) *afficiamus Numen.*
 Ita enim non tantum Sacris docemur Literis,
 DEVM illum summum semper & ubique lo-
 corum, venerandum ac timendum esse; sed &
 ipsa nobis natura dux & magistra est, quini-
 mo nostra in nobis conscientia, eiusque salu-
 taria dictamina, præcepta & monita longe plu-
 rima Gentiles reliquerunt. Alioqui contem-
 ptores Numinis gravissimas dederunt dabunt-
 que aliquando pœnas. Quod ipsum exem-
 plis cum sacræ tum profanæ historiæ, passim
 obuiis, nunc animus non est illustrare.

IV. Cauendum etiam, Actæonis exemplo,
ne in eo, quod nostra non refert, *simus curiosi*,
 atque in primis arcana Regum, Principum
 summorumque Virorum, non modo non inue-
 stigemus, sed etiam, ubi eorum participes su-
 mus atque conscii, ratione & prudentia omni ce-
 lemus & occultemus. Quantam enim perni-
 ciam istiusmodi curiosa, sed minus necessaria
 sæpeque inutilis indagatio ac propalatio tali-
 bus attulerit, malo suo aliorumque maximo
 sunt experti. Quam sæpe pulcherrimorum
 consiliorum rerumque agendarum susceptio-
 nes frustranæ, & quam fœdi eorum exitus,
 isti secretorum euulgationi veniunt attribuen-
 di! Quid Epimetheo profuit, dum fallacem
 Pandoræ pyxidem, omniumque malorum ple-
 nam, scrutaturus aperuit, nisi, quod omnia il-
 la mala in vniuersum terrarum orbem spar-
 rit?

rit? Hanc sane curiositatis pœnam ista voluerunt fabula Poetæ indicare. Nonne Samson quoque sua sui fatalis capillorum intonforum arcani reuelatione, robur, diuinitus concessum, libertatem, oculos & denique vitam ipsam amisit? Ita *scrutator Maiestatis opprimetur a gloria*, Prov. XXV, 27. 28. Et qui arcana enunciat, *fidem amittit, nec sibi amicum inueniet. Amicum dilige, & ei fidelis esto: quod si eius arcana detexeris, nolito eum insequi. Ut enim perdit aliquis hostem suum, sic tu alterius amicitiam perdidisti: & perinde, ac si auem de manu tua emisisses; sic alterum amisisti, non recepturus. Noli eum persequi: nam procul abscescit, & effugit, ceu caprea laqueum. Etenim vulnere mederi licet, & a maledictis est reconciliationi locus: sed qui arcana patefecit, huic, infelici anima, desperandum est, ex sapienti sententia & iudicio Siracidis, Capite libri eius XXVII, 17. seqq. Æternum igitur laudanda est Papyrii, pueri etiamnum prætextati, taciturnitas, qui, dum ei in Senatum Romanum vna cum patre liceret ire, etiam matri, iterum iterumque sciscitanti & sollicitanti, quid in eo actum esset, rara silentii fide, in ætate adhuc tenera, decreta & secreta Senatusconsulta detegere noluit; quin alio commento suam taciturnitatis gloriam retinuit, ac illius præmium, quo soli ei in Senatum cum patre venire, exclusis omnibus aliis eius ætatis & antea similis priuilegii*

Senatorum filiis, dabatur, reportavit nobilissimum. Vid. Gellius *Lib. I. cap. 23.*

CAP. IV.

DE DIOMEDIS EQVIS HOMINIVORIS.

I.

Omnium rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil est agricultura melius, nil uberior, nil dulcius, nil libero homine dignius, Cicero *libr. 1. Officior.* iudicante. Ea enim fructuosus & innocens labor merito nuncupatur, quem Romani maxime semper fecerunt, adeo quidem, ut ipsi Rectores urbis eum minime detrectauerint. Ita Florus *Lib. I. Cap. XI. L. Quinctium*, Dictatorem, iure suo laudat, qui ab aratro Dictator factus, expeditione belli finita, ad boues redierit triumphalis agricola. Et Socrates apud Xenophontem *libro Oeconom.* non ex vano, regii, putat, esse muneris agriculturam, dum, *nihil tam regale*, inquit, *sibi videri, quam agri colendi studium*, agriculturam matrem dicit, & nutricem artium. Sic laudatus Cicero Regis Persarum, Cyri, studio colendi agrum mire dediti, solertiam, & plura in hanc eximiam laudem facientia, in *Catone suo Maiore*, seu, *libro de Senectute*, paulo post medium, adducit commendatque. De agricul-

culturæ felicitate, præstantia & utilitate multis differens, ipse hoc studio delectatus Virgilius *Lib. II. Georg.* non sine ratione exclamat:

*O fortunatos nimium, sua si bona norint,
Agricolas, quibus ipsa, procul discordibus
armis,*

Fundit humo facilem victum iustissima tellus.

Vitam quoque rusticam multis encomiis persequentem *Horatium* passim legimus, in primis *Epodo II. & Sermon. Lib. II. Satyr. V I.* nec non *Lib. I. Epist. X.* Hanc felicitatem simul & utilitatem cum negligere, atque adeo prouentuum hoc reddituumque genere, quod cælum, terra, annus refert, quoque nihil iustius esse, affirmat *Plinius Lib. IX. Epist. 37.* carere, quam equorum, sumptuose pascendorum, curam deponere, maluerit *Diomedes*, quid mirum est, si in paupertatem inciderit, & rei familiaris iacturam fecerit quam maximam. Simile quid recensetur a *Nostro Cap. XXVI.*

II. Etiam *maximas opes dilabi posse*, ac pessum ire, nisi frugaliter dispensentur, *Diomedes* exemplo suo docet, qui, licet Rex *Thraciæ* fuerit, & regales diuitias possederit; nimis tamen & profusis sumptibus, quos in equos alendos impendit, eum ad egestatem redactum, *Noster*, ex fabulæ tenebris veram *Luci* historiam exponens, narrat. Talem opum profusionem quoque in *Antonio Tullius Philipp. 2o.*

perstringens: *Quæ Charybdis tam vorax?* inquit. *Charybdis dico? quæ, si fuit, fuit animal unum. Oceanus mediusfidius vix videtur tot res, tam dissipatas, tam distantibus in locis positas, tam cito absorbere potuisse.* Idem de Caligula & Nerone Imp. ex Suetonio, in ipsorum vitis, est legere. Adeo verum est illud Horatii, *Lib. I. Epistol. XVIII.*

Stultitiam patiuntur opes!

III. De profusis iisque inutilibus *opum expensis* sumptibusque in præced. *Cap. Obs. I. & II.* plura persecuti sumus.

CAP. V.

DE ORIONE.

I.

Primo omnium nobis in hac fabula maxime commendatur *hospitalitas*, quæ quo rarior est hoc ferreo seculo, in quo

- - *non hospes ab hospite tutus,*

(*Quid. Lib. I. Met.*) eo magis admiratione & laude quam dignissima commemoratur in sanctis pariter atque profanis hominibus, quemadmodum historiarum monumenta testantur. Sic Abrahami *hospitalitas* in Sacris maximo-pere laudata legitur, dum apparentes sibi tres

Vi-

Viros, vltro inuitat, ac humanissime compellat, velint sub arborem succedere, ac reſectis membris pane & aqua, more loquens Ebræorum, poſtea ſuſceptum iter continuare. Qua deinceps humanitate & ciborum copia eos exceperit, legat licet Lector beneuolus *Gen. XVIII, 6. 7. 8.* De Loto, eius auunculo, maiora forſan edocemur in eodem *Generationis libro Cap. XIX, 1. ſeqq.* quod, vbi duos ad ſe hoſpites blandis vrgentibusque verbis tandem inuitatos, inſtructa cœna excepiſſet, & vero ciues Sodomæ, contra omne *ius hoſpiti*, quod *ſanctiſſimum* appellat Cicero *II. in Verrem*, vim & iniuriam infandam maximamque parare hoſpitibus videret, egreſſus de domo etiam interceſſerit pro eis, ne ciues, mente & ratione prorsus omni capti, vim vllam iis inferrent. Paria videantur in ſene illo Gabaano *Iudic. XIX, 20. 23. 24.* Raguelis Sacerdotis Midianitarum, poſtea ſoceri Moſis, miris commendatur verbis hoſpitalitas, qui, cum a filiabus ſuis audiuiſſet, Ægyptium virum (qualis tum Moſes iſtis videbatur) eas contra paſtorum quorundam iniuriam defendiſſe, gregesque aquatum egiſſe, indignabundus ad filias ſuas dixit: *At vbi eſt ille? quamobrem reliquiſtis virum illum? Vocate eum, vt ſumat cibum.* Quo etiam acquieuit Moſes, vt maneret cum eo, & filiam eius, Sephoram, vxorem duceret, *Exod. II, 16. ſeqq.* Alia laude ſuperiora huc congerere

rere non permittit ratio instituti nostri, maxime Viduæ Sareptanæ, *I. Reg. XVII, 9. seqq.* Sunamitidis, *II. Reg. IV, 8. seqq.* Marthæ & Mariæ, *Luc. X, 38. seqq.* Lydiæ, *Actor. XVI, 15.* Gali, *Rom. XVI, 23.* III. *Iob. vers. 5.* Sed audiamus etiam *Iobum*, virum inusitato exemplo hospitem, qui de se ipso, veritate sic dicente, non iactans pronunciat: *Foris non pernoctauere peregrini: fores meas viatoribus patefecerunt*, *Cap. XXXI, 32.* Si profana consulamus, quid liberali *Cimonis Atheniensis* hospitalitate maius & illustrius? Hanc *Cornelius Nepos* mirum in modum posteritati commendatam reliquit, dum in eius vita *Cap. IV.* *Quotidie*, inquit, *sic cœna ei coquebatur, ut, quos inuocatos vidisset in foro, omnes deuocaret: quod facere nullum diem prætermittebat.* De *Didone*, *Libyæ Regina*, & *Carthaginis* autore, eiusque insigni erga hospites *Troianos*, eosque in mari paulo ante iactatos, humanitate, passim mirifice *Virgilius* canit, in primis eam ita loquentem *Lib. I. Æneid.* introducit:

*Soluite corde metum, Teucri, secludite curas.
Auxilio tutos dimittam, opibusque iuuabo.*

*Vultis & his mecum pariter considerare regnis?
Vrbem quam statuo, vestra est; subducite
naues,*

*Tros, Tyriusque mihi nullo discrimine age-
tur.*

Et

Et post, interiectis aliis :

Quare agite o tectis, iuvenes, succedite nostris.

Me quoque per multas similis fortuna labores

lactatam, hac demum voluit consistere terra.

Non ignara mali miseris succurrere disco.

Atque deinde regiis muneribus ac epulis exceptos, per longum temporis interuallum sustentauit. Ita valde decorum Ciceroni Libr. II. Offic. videtur, patere domos hominum illustrium illustribus hospitibus: idque etiam reipublicæ est ornamento, homines externos hoc liberalitatis genere in urbe sua egere. Esse etiam vehementer utile iis, qui honeste posse multa volunt, per hospites apud externos populos valere opibus & gratia. Totam autem rem de more ac iure hospitii apud veteres, tum de necessitudine ac religione hospitalis fœderis, desiderio Lectoris facturus satis, Iob. Guil. Stuckius, Antiquit. Conuiual. Lib. I. Cap. XXVII. illustrauit.

II. Sed etiam insignem utilitatem & compensationem retulisse hospitaes, maxime in Sacris legimus. Abrahamo enim filius e Sara sterili promittitur non tantum, sed etiam, exacto temporis ordine, ingenti cum gaudio exhibetur. Loti totiusque familiæ vita per hospites suos seruatur ab interitu, cui a ruituro iam iam cœlitus igne & sulphure imminente eripi-

untur, & in tuto collocantur. Quæ duo memoranda exempla, illud quidem Orionis nostri, hoc vero Philæmonis & Baucidis fabula (de qua Ouid. *Lib. IIX. Metam.*) incrustasse Poetas, erudite Petrus Daniel Huetius, magnum Galliaæ suæ lumen, in *Demonstrat. Evang. Propos. IV. p. m. 221. Edit. 8.* docet. In qua fabula etiam Deos gratos fuisse, atque beneficiis remuneratos fuisse suorum hospitem humanitatem, legimus. Quemadmodum etiam iidem de Cerere, Dea frugum, fabulantur, quod, cum a Celeo, Rege Eleusino, humanissime fuisset excepta, illum, ut gratiam referret, docuerit artem colendi agros, & fruges ferendi, cum antea homines glandibus vescerentur; ac filium eius, Triptoleum, immortalitate donauerit, *Lib. V. Metamorph.* Sed quid opus habemus fabulis Christiani? quid Deos fictitios sectamur? qui ipsius vnici ac veri DEI largissimam remunerationem in pluribus aliis exemplis habemus venerari. Ita viduis, Sareptanæ quidem mortuum filium, per Eliam hospitem in vitam revocavit; & præterea per multum temporis tractum nec farina in cado, nec in serua oleum consumptum, sed quantum deminutum, tantum iterum auctum fuit, *I. Reg. XVII, 14. 16. item 17. seqq.* Sunamitidi verò, cæteroquin sterili, non tantum filium dedit, sed etiam, ubi fato concessisset, redivivum per Elisæum hospitem restituit, *II. Reg. IV, 18. seqq.* Marthæ
 si-

similiter ac Mariæ, sororibus, fratrem Lazarum, præter alia corporis animæque beneficia, Christus, hospitio ab eis exceptus, in vitam reduxit, vivumque eis in maximum solatium redonavit, *Job. XI, 1. II. 17. seqq.* His jam moniti gravissimam nobis, qui Christiani sumus, *Apostoli* adhortationem sequendam esse, persuadeamus, dum inquit *Rom. XII, 13. Hospitalitatem exercete; nec non Ebr. XIII, 2. Hospitalitatis nolite oblivisci, per hanc nonnulli inscienter Angelos hospitio acceperunt. Quid enim scis, opportune inquit Ambrosius Lib. I. de Abrahamo, cap. 5. an DEVM suspicias, cum hospitem putas? Abraham, dum peregrinantibus defert hospitium, DEVM atque Angelos eius suscipit hospitio. Sic enim scriptum est in Evangelio, dicente Domino Iesu: hospes eram, & collegistis me. Quod enim uni horum minimorum fecistis, mihi fecistis. Sed paulo prolixius hanc de hospitalitate doctrinam, quanquam pro rei exigentia dignitateque nondum satis, persecuti sumus; quare eam augusta Augustissimi Patris admonitione, quam *Lib. V. de Hæres. cap. 4.* nobis reliquit, claudamus: *Discite, Christiani, sine discretionem hospites suscipere, ne forte cui domum clauseritis, cui humanitatem negaveritis, ipse sit Christus. Et Epistol. 14. In recipiendis hospitibus ignotis solemus dicere, multo esse melius malum hominem perpeti, quam forsitan per ignorantiam excludere bonum, dum**

cavemus, ne recipiatur malus. A latronibus tamen, furibus & sceleratis, quos scimus, ut ablineamus, ipsa Christiana Charitas nos jubet & Prudentia. Vid. quædam infra *Cap. XLVI. Obs. III.*

III. *Ex permutatione nominis Vrionis, quod fœditatem facti revocaret in memoriam, in nomen Orionis, paucissimis hic observare libeat: licere quandoque nomina mutare, sicubi minus grata sunt, & honestati, modestiæ ac verecundiæ deprehendantur repugnare. Quod prolixa, sed erudita, quæ in ordine suo est decima, Oratione probatum iuit Marcus Antonius Maionagius, Orator Mediolanensis, qui criminis eius accusatus fuit in Senatu, quod nomine Mariae, quo antea insigniretur, repudiato, Marci nomen sibi adsciuisset, rationibus ponderosis, exemplis quoque, atque in primis lege vn. C. de nomin. mutat. demonstrando, quæ ita habet: Lex Diocletiani & Maximiani. Sicut initio nominis, prænominis, cognominis recognoscendi singulos, impositio libera est privatis: ita eorum immutatio innocentibus periculosa non est. Mutare itaque nomen, vel prænomen, vel cognomen, sine aliqua fraude, licito iure, si liber es, secundum ea, quæ sæpe statuta sunt, minime prohiberis, nulli ex hoc præiudicio futuro. Ad quam rem plura non addimus, cupidum huius lectorem ad Interpretes Legum remittentes; cui autem volupe est, in erudito compendio*

pendio sensum vsunque legis allatæ cognoscere, Dissertationem in eam ICtissimi *FridERICI Geisleri*, Phil. & V. I. D. ac Prof. Publ. quondam in Academia Lipsiensi, *de Nominum mutatione & Anonymis scriptoribus*, Lipsiæ A. 1669. habitam, & recusam A. 1679. iure suo commendamus.

IV. *Libidinis pœnam* quoque, legimus in hac fabula, dedisse Orionem, dum Dianæ in venatione stuprum inferre voluerit, scorpionis, e terra producti, venenato ictu peremptum. Ob eandem quoque multi in animalia fœda, turpia, lasciuia, obscœna, furibunda, mutata fingebantur a Poetis, vt indicarent, libidinis vim atque impetum omnem rationem mentisque sanæ sensum pariter & corporis habitum formamque & elegantiam pessundare ac destruerent. Quinimo grauissimis & in corporis fortunæque bonis & in ipsa anima sumptis pœnis, in fœdissimam hanc libidinis exercitationem seuerissime DEVM, qui ἐνδικον semper ὀμματα habet, animaduertisse, longe tristissima prostant exempla. Quæ adducendi occasio forte infra dabitur in *Observationibus ad Cap. XIV.*

V. Quando in nostræ vltimæ Historiæ verbis legimus, a Ioue inter sidera collocatum esse Orionem, non incongrue annotamus, *insignem fauorem Principum*, vbi velit, etiam ex leuissimis, si non sceleratis, hominibus multos ad dignitates euehere. Orion enim, cum non

modo nefandum habuerit ortum, sed etiam scelere libidinis flagraret adeo, ut ipsi Dianæ, Dearum inter Gentiles castissimæ, vim inferre non fuerit veritus, tamen inter sidera post iustam mortem relatus legitur. Quam rem, ne prolixius simus, lubet ex Mich. Pexenfelder *Ethica Symbolica*, p. m. 52. sequentibus, qui de Callistone, scelestâ itidem (si fabulis credere licet) prius in vrsam commutata, deinde vero inter astra posita muliere, mirifice sonant, versibus concludere:

*Hirsutos effæta sinus scabramque papillam
Gnosia lætenti præbuit Vrsa Ioui.*

Hinc tenuit primam prima inter sidera se-
dem,

Nauibus irato suspicienda mari.

*Sit vilis, sit inops, sit agresti agrestior vrsa,
Quem Regum extollit gratia, sidus erit.*

CAP. VI.

DE SEMINATIS GI- GANTIBVS.

I.

Belli occasionem quandoque leuissimam, sæpe etiam nullam esse, quotidiana docet experientia. Sed ut sementem fecerint; ita quoque metent, prouerbum verum est: & Cadmi exemplo, malorum copia in ipsos auctores redun-

dundare solet. Hic enim draconis ubi dentes seminauerat, & ex eis viri armati & feroces immanesque prognati fuerant, in ipsum insurrexerunt: donec Palladis consilio quendam ex iis minime aduertentem lapide proiecto tangeret; quo ictu laesus iste, aliquem suorum commilitonum id fecisse ratus, breui effecit, ut mutuis in se caedibus saeuirent, & pene omnes conficerent. Ita ex Sacra quoque Historia constat, quod Madianitae, *Iudic. VII.* nec non Ammonitae & Moabitae, mutuis in semetipsos vulneribus occiderint, & penitus sint trucidati. Nonnunquam tamen belli discrimen iusta & legitima causa subeundum est, ubi pax caeteroquin & tranquillitas publica non aliter potest conseruari. Quod calculo suo Tullius *Lib. I. Offic.* comprobat, dum: *Suscipienda, inquit, bella sunt, ob eam causam, ut sine iniuria in pace uiuatur.* Et pluribus interiectis: *Temere in acie versari, & manu cum hoste confligere, immane quiddam & belluarum simile est. Sed cum tempus necessitasque postulat, decertandum manu est, & mors seruituti turpitudinique anteponenda.* Paria fere his habet S. Ambrosius *Lib. I. Offic. Cap. XL & XLI.* qui, postquam multis exemplis ostendit, excelluisse quoque in populo DEI multos, bellicae fortitudinis & gloriae laude praestantes, tandem sermonem suum his verbis concludit: *Habes fortitudinem bellicam, in qua non medio-*

*cris honesti & decori fama est, quod mortem
servituti præferat ac turpitudini. Quæ res mul-
tos accendit, ut leonum instar spirarent Mar-
tem; quibusque dulce ac decorum erat pro pa-
tria mori; imo pulchrius, pro religione, DEO,
cælo. At bellum multis est occasio cupide aus-
re, crudeliter, impie agendi; num ideo nullum
esse debet?*

Nil prodest, quod non ledere possit idem.

Et latro, & cautus præcingitur ense viator,

Ille sed insidias, hic sibi portat opem.

*Ovidius, Trist. Lib. II. Sapienter Thucydides:
Ut modestia est, quiescere, si non afficiaris iniu-
ria: Ita iustitia est, cum iniuria laceessimur, bel-
lum paci anteferre; & repressa iniuria, post bel-
lum rursus pacem facere: ne aut successu in-
bellis elati plura appetere, aut pati iniurias mol-
litie & amore otii videamur. Et Sallustius: Sapien-
tes pacis causa bellum gerunt, & laborem spe otii
sustentant. Mich. Pexenfelder, in *Ethica, Symbol.*
*XCVI. p. m. 595. seq. Vid. inf. Cap. XLVI. Obs. I.**

*II. Fratres quoque contra se inuicem odio
& cadibus, quinimo bellis etiam, præsertim ubi
de dignitate, imperii gloria & diademate, aut
aliis commodis est controuersia, insurgere, &
antiquis temporibus & modernis non est insoli-
tum. Quid primus omnium ex hominibus
natus contra fratrem subinde molitus sit, hor-
rendum tandem parricidium ex *Cap. IV. libri*
*Ge-**

Generationis testatur. Ita Esauus fratrem Iacobum odio implacabili persecutus, palam quoque mortem illaturum se, dixit, fecissetque, nisi præpotente DEI prouidentia, & salutari parentum consilio, Iacobus fuga ad auunculum suum quæsiuisset salutem, *Gen. XLVII, 41.* Quod odium, etiam in posteris Esaui vna cum scelerato sanguine propagatum, tam altas egit radices, vt subinde noui propullularint hostilitatis ac in aduersis insultationis furculi, & altius excreuerint. In quam impietatem sacrosancti Vates iterum iterumque vehementer inuecti sunt, ceu passim in Sacris est legere. Vid. quoque huc facientes *Præfatio D. Lutberi in Obadiam, & Glossa, quam vocant, marginalis ad Prouerb. Cap. XVIII, 19.* Porro fratrum Iosephi, castissimi pueri, immane odium, & crudeles infidiæ prolixius *Genes. Cap. XXVII.* recensentur, quibus tandem moti eo progressi sunt impietatis, vt primo vellent occisum fratrem, postea vero, cohibente velut manus Sanguinis, ex vno patre producti, paritate, quinimo singulari Numinis prouidentia, in duram captiuitatem, iniquissime venderent. Ex priscis Romanæ Historiæ tabulis Romulum & Remum, fratres, sistemus, quorum ille tandem hunc, omni exutus humanitate, & ambitionis cæstro percitus, interfici iussit, aut ipse violentas adhibuit manus. Vid. *Liuius, & Florus, Lib. I. Rer. Romanar. Cap. I.*

Species utilitatis animum pepulit eius, (Regis scilicet, qui urbem condidit) cui cum visum esset utilius, solum se, quam cum altero, regnare, fratrem interemit. Omisit hic & pietatem & humanitatem, ut id, quod utile videbatur, neque erat, assequi posset. Et tamen muri causam opposuit speciem honestatis, neque probabilem, neque satis idoneam. Peccavit igitur, pace vel Quirini, vel Romuli dixerim. Sic iudicat Cicero lib. III. Officior. Et Horatius bella, in primis ciuilia, & alia urbis fata, a Diis suis immissa, Remi huius iniustæ interfectioni, Epod. VII. ita canens, attribuit:

- - *Acerba fata Romanos agunt
Scelusque fraternæ necis:
Ut immerentis fluxit in terram Remi
Sacer nepotibus cruor.*

Ne prolixiores simus, Cadmus ex Historia nostra egregiam (præfiscini!) cohortem hanc claudat, qui, ut Thebanis imperaret, cum fratre decertavit, eoque interfecto, Regnum occupavit.

III. *Amicitia* autem e contrario veræ sinceræque nobis exhibent laudabile documentum Draconis amici, qui, vna cum filiis eius (eximio sane etiam pietatis in parentem exemplo) Cadmum, iniquissimum fratris regni-que inuasorem & interfectorem, bello aggressi sunt, &, licet impares fuerint, direptis tamen
Cadmi

Cadmi opibus, & pretiosis elephantum dentibus, quadantenus mortem amici parentisque vlti, alio se contulerunt. Is enim verus amicus est, ac proprius veræ amicitiae character, quod, quantumuis fortuna nutet, imo tonet, & variis calamitatibus, ipsaque adeo morte sæuiat, nunquam dimoueri se patiatur & auelli: sed semper, non tantum in fortunæ ridentis ortu, sed etiam minantis & indignantis occasione, velut comes indiuiduus adhæreat, ad instar stellæ, quæ mane solem orientem præcedit, phosphorus dicta, vesperi vero solem sequitur, hesperus cognominata. Atque ita fatis, velut Lydio Lapide, aut igne, aurum, amici probantur. S. Maximus, *Serm. de amicitia*, *Equi bonitatem*, inquit, *in bello, amici vero fidem in calamitate iudicamus.* Et Isocrates ad Nicoclem; *Amicos probabis ex calamitate in vita & communicatione periculorum. Aurum enim igne probamus, amicos in aduersa fortuna cognoscimus. Amicitiam autem, etiam post mortem durantem Alciatus Emblem. CLIX.* in vite recenti, ac pampinis vuisque grauida, vlmumque aridam amplectente, suauiter ac erudite adumbrat; & elegantes hos versiculos apponit:

Arentem senio, nudam quoque frondibus vlmum

Complexa est viridi vitis opaca coma:

Agnoscitque vices nature, & grata parenti

Officii reddit mutua iura suo.

Exemploque monet, tales nos querere amicos,

Quos neque disiungat fœdere summa dies.
Talem amicitiam quoque, a morte perstituram, Mæcenati suo *Virgilius* promiserat in *carmine*, quod in *obitum Mæcenatis* scripsisse, aliis putatur:

Et decet, & certè viuam tibi semper amicus:

Nec tibi, qui moritur, desinit esse tuus.
Ipse ego, quicquid ero, cineres interque fauillas,

Tunc ego non potero non memor esse tui.

Itaque *omni tempore diligit, qui amicus est, iudice Regum Sapiientissimo. Prov. XVII, 17.* Et *Amicitia, quæ desinere potest, nunquam vera fuit*, teste *I. Lipsio, Centur. singulari ad German. Epist. 43.* Hanc tamen amicitiam *vsque ad aras*, quod in *Prouerbio* est, protendi debere, locus erit *infra differendi.*

IV. Dum in hac *Historia Draconis amici*, *Cadmo* in bello inferiores, varie dispersi essent; & vero relictis viribus e locis suis iam graues præliatores, eruptionem sæpe facientes, bellum subinde *Thebanis* inferrent, vnde antea *Cadmi* iniquitate pulsi fuissent; documento nobis esse poterit, *animum generosum*, *ignominia iniuriaque affectum*, quamuis ad tempus, vbi vires defuerint, cedere, locumque victori
su-

superbo dare cogatur; tamen postea, oblata occasione, *iusta commoueri vindicta*, & ignominiam iniuriamque, sibi illatam, ex æquo in auctorem retorquere. Quemadmodum etiam videmus, milites (quod in primis Hungaris & Turcis perquam familiare est) nonnunquam fugam simulare, ac retrocedere, ut eo deinde melius in hostem irruere possint, & e loco stationeque sua percommoda elicitum, opprimere. Quod & fortissimum heroa, Iosua, & Israëlitæ fecisse, legimus in Sacra Historia, *Ios. VIII, 15. Iudic. XX, 32.* Id etiam bruta animantia naturam, cernimus, docuisse, arietis inter alia exemplo, qui prius, quam confligat, non nihil retrogredi, viresque suas colligere solet, ut postea geminato robore in hostem facere impetum, & aduersus illum eo fortius arietare queat. Sic certe

Male relictus igne de magno cinis.

Vires resumit;

ut Seneca loquitur in *Troadibus, Act. III. Sc. I.* Ac quemadmodum *Ulionis acres*, ita iustæ (nonnunquam) aculei sunt, qui laceffiti concitantur, acceptam dolorem pensare cupientes. Valerius Maximus *Lib. IX. Cap. X.* Victores olim arma siue propria, siue deuictis hostibus detracta, e trunco, frondibus & fructibus suis destituta, suspendere solebant: Velut Æneam cum Mezentii armis Virgilius circa initium *Liberi Æneid. XI.* scribit fecisse:

C c f

It

*Ingentem quercum, decisis undique ramis,
Constituit tumulo, fulgentiaque induit ar-
ma,*

*Mezenti ducis exuuias, tibi magne, tropæum,
Bellipotens : aptat rorantes sanguine cristas,
Telaque trunca viri, & bis sex thoraca pe-
titum*

*Perfossamque locis : clypeumque ex ære si-
nistra*

*Subligat, atque enssem collo suspendit ebur-
num.*

Quod nobis, velut sub imagine, sistere potest,
hominem, iniuria lacescitum, etiam si bonis quo-
que suis priuatur, vix aliud suo malo reme-
dium habere, nisi arma & vindictam. Quo
Iuuenalis etiam velut digitum intendit, dum
Satyr. VIII. ita scribit :

*Curandum in primis, ne magna iniuria fiat
Fortibus, & miseris tollas licet omne, quod
usquam est*

*Auri atque argenti : scutum gladiumque re-
linquens,*

*Et iacula & galeam, spoliatis arma super-
sunt.*

Tristem nobis præ aliis *Ælianus* reliquit hi-
storiam, quam legere licet cupidis *Lib. XIV.*
Cap. XXIV.

CAP.

CAP. VII.
DE SPHINGE.

I.

Varias de Sphinge fabulam admittere interpretationes, & vel explicari de meretricibus; vel cum assentatione comparari; vel ad scientiam accommodari; contra ab aliis de amentia & stultitia, ab aliis de ignorantia exponi; supra hoc ipso capite in Notis est monitum. De perferendis forti constantique animo aduersis interpretatur Natalis Comes, *Mytholog. Libr. IX. Cap. XVIII. p. m. 1021.* De lasciuæ autem mulieris captiosis illecebris Michael Pexenfelder in *Ethica Symbolica, Symbol. LIII. p. m. 306.* qui videri consulique, non sine animi voluptate, morumque emendandorum augmento, possunt. Nos ex hac fabula simul & euoluta historia hoc monebimus, *Nemesin diuinam nihil sceleris impunitum relinquere, sed tandem grauissime punire.* Sphinx enim, sicut fabula habet, cum multos, implicatum valde nodum ænigmatis soluere non valentes, interemisset; vel, vti refert explicata historia, multos Thebanorum per insidias oppressisset; tandem pœnas morte, vel violentis illatis sibi manibus, vel ab Oedipode, adscita, dedit iustissimas. Adeo

Sequitur scelestos, vltor a tergo, DEVS.

At-

Atque Lento gradu ad vindictam sui diuina procedit ira; tarditatemque supplicii grauitate compensat; vt christiano plane ore Ethnicus, Valerius Maximus, ait *Lib. I. rer. & gestor. memorab. Cap. I.* Quod ab eo, qua partem, mutuas se videtur S. Hieronymus in *Epistol. ad Rom. Cap. II.* dum inquit: *Sicut qui paulatim arcum intendit, tempus dat alicui, vt fugiat, qui si fugere noluerit, tanto fortius sagitta emissa configitur, quanto meliori tempore arcus intentio fuit facta: sic DEVS, qui laneas habet pedes, sed ferreas manus, tarditatem vindictæ supplicii grauitate compensat.* Gemina his S. Augustinus *Serm. 102. de tempore* habet: *Numquid prolixa misericordia potest auferre iustitiam? Quanto enim diutius expectat, tanto grauius vindicat.* Utinam exemplis horrendis & longe tristissimis moueantur tandem mortales, vt cautiùs mercari, & scelera quæcunque atque peccata quam diligentissime vitare fugereque, ac iram iustissimam iuxta & grauissimam Numinis reformidare discant!

II. Ex hac historia quoque elucet furor & vesania zelotyporum coniugum. Sphinx enim, vxor Cadmi, postquam intellexisset, eum sororem Draconis, Harmoniam, superinduxisse in matrimonium, adductis ad obsequium plurimis ciuium, & magna opum vi subducta, abiit in montem Sphingium, ac inde bello Cadmum adortæ, factis quotidie insidiis, Thebanorum mul-

multos oppressit. In quam rabiem siue vi-
res, siue mulieres, dolor armat & efferat, quos
vltio violati thalami stimulat. Nec raro so-
la suspicio immanes in hac scena tragœdias
excitat: quemadmodum Tullius *Lib. II. Offic.*
Alexandrum Pheræum, Thessalorum tyrannum,
scribit, a Thebe uxore, propter pellicatus suspi-
cionem, interfectum. Et furentior solet ista
zelotypia foeminarum, quam virorum, esse, in
maritos, violatæ conjugalis fidei reos; adeo, vt,
Seneca in *Medea* canente, sit

Nulla vis flamma tumidique venti
Tanta, nec teli metuenda torti,
Quanta, cum coniux viduata tædis
Ardet, & odit.

Quod ipsum viuis velut coloribus quoque de-
pingit Ouidius, *Lib. II. de arte amandi:*

Sed neque fuluus aper media tam seuis in
ira est,
Fulmineo rabidos dum rotat ore canes,
Nec lea, cum catulis lætentibus ubera præ-
bet,

Nec breuis ignaro vipera lesa pede.
Fœmina quam, socii deprensa pellice lecti,
Ardet, & in vultu pignora mentis habet.
In ferrum flammæque ruit: positoque de-
core

Fertur, vt Aoniæ cornibus ietæ Dei.
Stygiæ Medæ furorem non satis admirari
pos-

possumus, quo ipsa exardens eo crudelitatis ac vindictæ procescit, ut veneficiis infecta veste nouam mariti nuptam, Glaucam nomine, concepto statim igne, per summos cruciatus interire fecerit: quod miserandum fatum etiam pater Glaucæ, opem laturus filia, horrendum in modum expertus est. Eodem incendio regia quoque periit. Filios denique, ex Iasone conceptos, beluis crudelior, in conspectu patris, nequicquam deprecantis, iugulauit. Et sic documentum dedit, quod Siracides *Cap. XXV, 21. 22. 23. 25.* in hanc rem quoque scribit: *Nulla ira mulieris iram superat. Cum leone malim & dracone degere, quam cum mala muliere habitare. Mulieris nequitia eius aspectum immutat, & vultum, tanquam saccum infuscet. Parua est quæuis prauitas præ mulieris prauitate. Cui concinit Iuuenalis Satyr. VI.*

- - - - quoties facit ira nocentem

Hunc sexum! Rabie jecur incendente feruntur

Præcipites, ut saxa iugis abrupta.

Et Terentius in *Heautontimorumenno*:

Neque ius, neque bonum aut æquum sciunt:

Melius, peius: profit, obsit, nihil vident,

Nisi quod libido suggerit.

Eiusdem furfuris & furoris fuit Progne, mariti fractam thori fidem necesse filii vltura, de qua Ouidius, *Lib. VI. Metamorph.*

Nec

*Nec mora : traxit Ityn , veluti Gangetica
cervæ*

*Lactentem fœtum per sylvas tigris opacas :
Tendentemque manus , & iam sua fata vi-
dentem ,*

*Et , Mater ! Mater ! clamantem , & colla pe-
tentem*

*Ense ferit Progne , lateri qua pectus adhe-
ret ,*

*Nec vultum vertit ; satis illi ad fata vel v-
num*

Vulnus erat.

III. De *insidiis* (quibus *vsæ Sphinx* quoque legitur) infra agimus *Cap. XVII. Obs. II.*

IV. *Sphinx* etiam, non adeo cauta, noctu ab *Oedipode* circumuenta & confossa, securis esse potest exemplo, quam sæpe *noxia* sit & *damnosa securitas*, in primis ubi hostis vigilans est præsto. Quod maximo malo suo *Troiani* sunt experti, quorum

- urbem vino somnoque sepultam

inuaserant *Græci*, & vigilibus cæsis, oppressis- que *Phrygibus*, incensam urbem penitus dele- uerunt. Quo de prolixè *Virgilius Lib. II. Æ- neid.* Plura vid. infra *Obs. III. Capitis XVII.* Idem de *Babylone*, a *Cyro* occupata vrbe po- tentissima & amplissima, legi potest apud *He- rodotum Lib. I.* De *Constantino M.* similia *Eumenius Cap. XII. Panegyrici* habet, quum
ita

ita eum alloquitur: *Etiam immensam Bructeris vastationem fecisti, Imperator inuicte, in quo prima consilii tui fuit ratio, quod exercitu repente traiecto inopinantes adortus es; non quo aperto Marti diffideres, ut qui palam congregi maluisses, sed ut illa natio, per fugiis sylvarum & paludium bellum solita frustrari, fugæ tempus amitteret; casi igitur innumerabiles, capti plurimi. Huic adiungere placet filium Constantium, quem Ammianus Marcellinus Lib. XVII. Cap. XXIV. sequentem in modum a prouida celeritate commendat: Constantius, inquiens, super nauium foros ponte contexto, Istrum transgressus, populandis barbarorum incubuit terris: qui itinere festinato præuenti, nec spirare ausi, nec stare, sed vitantes exitum insperatum, semet omnes effuderunt in fugam, stratisque plurimis, quorum gressus vinxerat timor, si, quos exseruit celeritas morte, inter latebrosas conualles montium occultati, videbant patriam ferro pereuntem. Adeo circumspicte peragenda sunt omnia, nec hostis vnquam contemnendus. Nemo enim celerius opprimitur, quam qui nihil timet. Hosti sonus tubarum, fulgor armorum, quanto inopina, tanto maiora offunduntur, inquit Tacitus, Lib. I. Annalium, Cap. LXVIII.*

CAP. VIII.

CAP. VIII.

DE VULPE.

I.

In vulpe hac, animali ratione destituto, perquam commode *Vulpes* ille, rationis & mentis compos, tanquam inuolucro quodam latuit, cum non tantum *callidus* fuerit ac *versutus*, sed sua calliditate etiam ac versutia *noxius* valde, ac *prædo* insignis, adeo, vt nomen sine re non gesserit. Et merito quidem tales homines vulpi assimilantur: quæ, præter alias noxas, quas abunde infert, *animal est odio dignum propter rapinam, despectum propter infirmitatem, incautum suæ salutis, dum insidiatur alienæ*, pronunciante Ambrosio in *Hexaemero*. Et in primis animal est *dolosum*, vt inde multis Apologis, tantum in hoc ipsum confictis, vt quocunque saltem modo ostenderetur, quod nequam & versutum sit hoc animal, ansam & occasionem dederit. Deinde *malitiosum* est: omnem enim calliditatem ad perniciem reliquorum animalium usurpat. Denique *gulosum* est, dum noctes & dies prædis inhiat, neque potest saturari. Quæ tria insignia vitia accommodari ad hypocritas, dicit D. Wolffg. Franzius in *Histor. animal. Part. I. Cap. XXX.* eaque fusius ibidem diducit. Hinc etiam callidis & fraudulentis attribui posse, quis ambi-

Dd

get?

get? modo ad eorum ingenium factaque penitius attendat, quam astute malitioseque consilia sua tegant occultentque, vt simplices & incautos alios fallant, sua commoda iis nocendo quærant, & eos pessime perdant.

II. Sed tamen huiusmodi *malum in herba*, quod dicitur, *suffocandum esse*, docet quoque in præsentī nostra historia Rex Thebanorum, qui Vulpem hunc, veritus, *ne quid vulpine calliditate & astutia, aduersum se moliretur, ciuitate sua eiecit.* Duæ sunt pestes Ecclesiæ & Reipubl. præcipuæ, Tyrannis & Sophistica, sed hæc multo nocentior Tyrannide, quæ omnibus seculis contaminauit regna & religiones. Quare circumspectum est probe, ne tales versuti, *quorum mens* (aiante Cicerone *Lib. III. de natura Deorum*) *celerrime versatur*, inquieti cæteroquin animi, potentiores iusto in republica fiant, & malo proprio, & aliorum, nil nisi seditiones, clades & ruinam afferant. Quod ipsum Athenienses, Pisistrati tyrannide facti cautiores, in plerisque ciuibus suis, quinimo Patriæ liberatoribus, (an semper iuste, hic non est disquirendum) præstiterunt, & per ostracismum, quem vocabant, tales, ad dominationem paulo altius euectos, decem annorum exilio multarunt; nominatim Themistoclem, Aristidem, Cimonem, allegasse, præter alios, qui aliis pœnis affecti fuerunt, hic sufficiat, de quibus Cornelius Nepos & Plutarchus
in

in eorum vitis. Facile siquidem est istis turbulentis ingeniis, populum, qui *acer, suspicax, mobilis, aduersarius, inuidus etiam potentiae*, vt Nepos in *Timotheo Cap. III.* loquitur, concitare, ima summis mutare, & quid non? audere. Exemplum luculentum in Catilina præbet Historia Romana apud Florum breuius, in *Epitome belli Catilinarii*; prolixius apud Sallustium in *bello Catilinario*. Conferatur etiam in hanc rem Othonis *Casmanni Mundus immundus, Cap. XLII.*

III. Eos autem, dum ultionem quærunt, & vel patriam, e qua merito, propter turbida consilia & facta, sunt eiectioni, vel alios, qui eis poenas dictauerunt, tentant inuadere, *sibi ipsis accersere malum*, & ipsius Catilinæ, & nostri quoque Vulpis aliorumque docentur exemplo. Ille quippe cum coniuratoribus suis miserrima strage periit; & iste a Cephalo Atheniensi, qui cum grandi exercitu venit auxilio Thebanis, interfectus, eiusque exercitus loco expulsus est. Adeo *sibi*, quod in Prouerbio est de Turdo, *exitium* (fit venia verbo) *cacant*. Laudabilius, aliorum iudicio, dicuntur egisse laudati supra Themistocles, Aristides, Cimon, & alii, qui ingratae patriæ ultionem ne quidem, cum potuissent, susceperunt. Quibus annumerare placet Ciceronem, qui post exilium maiori emolumento decorique, iniuriarum oblitus, fuit vrbi suæ, quam quidem ante id tempus. De

iniqua iniuria legitime vlciscenda supra quædam reperiuntur *Cap. VI. Obs. IV.*

CAP. IX.

DE NIOBE.

I.

Qui hanc de Niobe fabulam condiderunt, bene multa referunt; quos allegatos vide in Notis supra ad hoc Caput: quos, si copia & voluptas fuerit, evolvere lector cupidus & curiosus poterit, ac simul conferre recentiores, ex iisque, quæ ad morales faciunt vitam actionesque, notare, videlicet Natalem Comitem *Lib. VI. Mytholog. Cap. XIII.* & in primis Michaellem Pexenfelderum, in *Ethica Symbolica, Symbol. XXXIII. p. m. 171. seqq.* Nos in præsentia rerum, brevitatis studiosum Palæphatum nostrum secuti, ab incongrua tristitia luctuque immodico, si non plane stolido, maxime abstinendum esse, monebimus. *Luctus* equidem, definiente Gregor. Nysseno, *Serm. 3. de beatitudinibus, est tristis animi affectus, qui existit propter privationem rei alicuius, quæ placeat & accepta sit.* Quid autem liberis acceptius & charius est, quam parentes optimi? Quid parentibus dulcius atque iucundius, quam legitime prognati, honesteque educati, ac bene morati liberi? Quid igitur huiusmodi morte
acer-

acerbius vtrunque fingi potest, & excogitari? Ut proinde luctui amaro minime sit temperandum. Neque nobis in mentem vnquam venit, vt luctum plane omnem fletumque proferibamus; id enim ex Stoa non addiscemus. Meliora siquidem & saniora dictis & exemplis etiam Sacrarum Literarum edocti, aliter longe sentiamus oportet. Sed illum ipsum dolorem & luctum, qui modum nescit, & ab insana ratione quam proxime abest, improbamus, qui, dum plane nihil prodest, sensus etiam omnes hebetat, hominesque attonitos facit, vt velut in lapides & saxa, ceu Niobe in fabula nostra, propter nullum lugendi plangendique finem, commutati videantur. *Qui ob amissas opes,* inquit Chrysostronus homil. 15. ad II. Cor. *in mœrore est, incommodum acceptum minime sarcit. Qui mortem alicuius mœrore prosequitur, iacentem minime excitat. Qui ob morbum discruciat, is eum adeo non depellit, vt etiam augeat, & exasperet.* Et paulo post: *Parentes,* ait, *qui in ipsa doloris flamma nullius consolationem admittere sustinent, seipsos excruciant: iidem postea, ob immodicum luctum, pœnitudine afficiuntur; vt qui non modo nihil commodi inde ceperint, sed grauius etiam se ipsos vexarint atque obtriuerint.* Idem etiam nos Sacra Pagina docet, dum Regum omnium sapientissimus testatur, *tristitiam nos deprimere, Prou. XII, 25. XV, 13. & ossa exsiccare, Prou. XVII,*

22. Confer. *Sinac. XXX, 25. 26. XXXVIII. v. 19.* Hoc negotium vero lacrymosum, imo vere deplorandum, in primis fœmineo sexui commune, videmus, esse, vt non immerito pronunciarit *Os aureum*, modo laudatum, *homil. 28. in I. Corinth.* *Sunt mulieres adeo nullo sensu præditæ, vt etiam infideles immoderato luctu superent.* Et solenne ipsis est, vellere capillos, brachia iactitare, lacerare faciem, pugnis pectus percutere, lamentationes, eiulatus & vlulatus fere dixerim belluinos & horrendos edere: velut tales incompósitos motus, de more gentis suæ, *Virgilius* in Anna, Didonis sorore, & pedissequis, cum germanam, ac dominam suam, propriis occisam manibus, conspexissent, depingit, ita canens *IV. Æneid.*

- - - - - *It clamor ad alta
Atria: concussam bacchatur fama per urbem.
Lamentis, gemituque & fœmineo vlulatu
Tecta fremunt: resonat magnis plangoribus
æther,
Non aliter, quam si immisis ruat hostibus
omnis
Carthago, aut antiqua Tyros; flammaeque
furentes
Culmina perque hominum voluantur perque
deorum.
Audiit exanimis, trepidoque exterrita cursu,
Vnguibus ora soror scedans, & pectora pugnis,
Per medios ruit, & morientem nomine clamat.
Idem*

Idem de Euryali matre habet *Æneid. IX.* ubi ait:

- - - *subitus misera calor ossa reliquit:*
Euolat infelix, & fœmineo ululatu
Scissa comam - - - - -
 - - *cælum dehinc questibus implet.*

Similia de Iuturna, Turni sorore, haud procul ab extremo *Æneidos XII.* est legere. Sed tamen etiam viris quandoque hanc mentis impotentiam obtingere, non omnino tacent historiæ monumenta. Ex diuinis sit exemplo Patriarcha Iacob, qui, audito, Iosephum, quem præ cæteris filiis efflictim tenerrimeque amaret, a fera dilaniatum esse, adeo mœrore fuit affectus, ut ne quidem consolationem admittere visus sit, *Genes. XXXVII, 34. 35.* In profana historia nobis memoratur Claudius, Cæsar, de quo Suetonius *in eius vitæ Cap. 38.* narrat, eum, cum Messalina, vxor, libidinis propudiosæ fœmina, iussu suo interfecta esset, amorene, (quod alii volunt) an vero obliuione, (quod ipsi Suetonio videtur) *ubi paulo postquam in triclinio decubuit, requisuisse: cur Domina non veniret?* Ita ex priori opinione memoriam vxoris deponere non potuit. Immoderatus se gessit Antoninus, cognomento Pius, qui mortem Annæ Faustinae suæ, quam prostratæ pudicitiae mulieris, adeo dolenter excepit, ut aliter luctum suum, nisi diu-

nis ei decretis honoribus, ac statuis aureis erectis, consolari nequiverit: quo saltem in aris præsentem haberet, quam in thalamo iam non posset. Vid. Pexenfelderus *Symbol. LV. p. m. 328.* qui hæc ex Augusta Historia, in Anton. Pio, recenset. Ita ex fabulis huc referre liceat Cygnum & Orpheum, qui præ nimio luctu & mœrore, ille in avem cognominem abiit & mutatus est; hic montes sylvasque petens, solitariam vitam victurus, tandem a furiosis Mænadibus discerptus est. Vid. de his Ovidius *Lib. II. & XI. Metamorph.* & Natalis Comes in *Mytholog. Lib. VII. Cap. V. & XIV.*

II. Quapropter nimio & incongruo luctui modum ponamus, &, ne pietatis & humanitatis habitum deposuisse videamur, dolori aliquantum demus, quod & alios, legimus, sanctos pariter atque improbos fecisse viros, qui ad tempus certum incertumque, vel per septem, vel per triginta dies, mortuos suos luxisse, ac deinceps animo moderato præsentique se solatos fuisse, leguntur *Gen. XXIII, 2. 3. Job. I, 20. 10. Num. XX, 29. Deut. XXXIV, 8. Gen. L, 21.* Sic enim

Expletur lacrymis egeriturque dolor!

(Ouid. *Lib. IV. Trist. Eleg. III.*) Circa quod consolationis genus occupati sunt prolixius Sacri Oratores.

III. Interea tamen *defunctorum memoria*
gra-

grata debitaque obleruatione retinenda erit. In primis si eruditionis laude præstantes Viri; vel qui Reipublicæ maximo vsui ac honori fuerint; vel

Martia qui ob patriam pugnando vulnera passi;

(Virg. Lib. VII. Æn.) vel quorum pietas, amor, officia omnino non sint obliteranda: horum merita seculis ab antiquissimis huc usque recte memorando conseruata sunt, & adhuc memoranda veniunt picturis sculpturisque, næniis, epitaphiis, quinimo statuis publicis, e lapide, ære, argento auroque confectis, velut in euoluta Noster historia de Niobe, quod statuam lapideam, pro recenti liberorum, fato miserrimo ereptorum, memoria, posuerit, e rei veritate refert. Et in Sacra quoque Historia memorandum nobis exemplum sistitur in Simone Maccabæo, Pontifice iuxta & Principe Iudæorum, qui parenti ac fratribus, optime, usque ad sanguinis vitæque profusionem, de patria meritis, statuas erexit e marmore ingentes, cum rerum, fortiter gestarum, encomiis, quæ in mari e longinquo bene conspici legique potuerunt. Vid. 1. Maccab. XIII, 27. seqq. Idem Græcis Romanisque in more positum fuit, vt præclare meritis Viris, maxime Ducibus strenuis ac fortissimis, statuas, memoriam rerum gestarum conseruantes, posuerint.

rint. Id quod exemplis, quæ passim ex histo-
riis sunt obuia, nimiam ob prolixitatem, com-
monstrare superfedebimus.

CAP. X.

DE LYNCEO.

I.

In isto Lynceo nobis depingitur homo, in-
genio acri, prudente, sagaci, atque in pri-
mis, qui rerum naturalium solertem agat scru-
tatores: unde & terras quoque perspexisse, at-
que ibidem latentia metalla contuitus fingeba-
tur. Nobis eorum vnus merito censetur, qui-
bus

de meliore luto finxit præcordia Titan,

vt cum Poeta loqui liceat. In iis enim mens,
eiusque præclara bona, per corpus & faciem,
per actionesque externas perlucet, sicut fax
lumen suum per laternam, sol per vitrum ra-
dios suos transmittere solet. Vnde Condito-
ri nostro T. O. M. gratias merito agamus ha-
beamusque. Talem se describit sapientissimus
Salomon, an alius nomine eius, *libro Sapien-
tia, Cap. VIII, 19. Puer eram ingeniosus, & sor-
titus sum animam bonam.* Optime quoque in
hanc rem Seneca IV. de Beneficiis: *Infra, in-
quit, suat nobis omnium ætatum, omniumque*

ar-

*artium semina, magisterque ex occulto DEVS
producit ingenia.* De excellentia autem eius-
modi sapientis prudentisque viri erudita pro-
lixitate *Pexenfelder* agit, comparans eum cum
Principe ac Rege stellarum, Sole, in *Etbica
Symbolica, Symbol. XCI. p. m. 557.* quæ in has
angustiores pagellas non vacat, neque inte-
grum est, conicere. Vid. huc facientia quo-
que *Cap. XIII. Obs. I.*

II. Cæterum, an Lynceus noster, vt æs, &
ferrum, argentumque, e visceribus terræ sub-
duceret, *auaritiæ* stimulis agitatus non fuerit,
susplicari non immerito quis posset. Primum
quidem ipsum inuentorem metallifodinarum
(ex mente *Palæphati* nostri) fuisse, concesseri-
mus; sed successione operum, & lucri accessio-
ne elatum, inquirendis metallis etiam magis
magisque incubuisse, vero per quam est simi-
le. Nam diuitiæ non incongrue comparantur
a sapientibus hydropi, qui quo magis intume-
scit & aqua intercute affluit, eo sitire magis
facit ægrotum, &

Quo plus sunt pota, plus sitiuntur aque,
(canente *Ouidio Lib. I. Fastor.*) vt tandem
sitis istius nullus, nisi mors ipsa, sit finis, aut,
quod difficile sit, morbus pellatur, quod *Hora-
tius* innuit, hunc in modum *Lib. II. Oda II.*
canens:

Crescit indulgens sibi dirus hydrops:

Nec sitim pellit, nisi causa morbi

Fit-

Fugerit venis, & aquosus albo

Corpore languor.

Ita diuitiæ, quo maior earum copia paruis ex
nitiis fit; eo maius indies augendi eas deside-
rium surgit, vt verum sit illud sapientissimi
pariter ac ditissimi Regum omnium in *Eccle-
siaste suo Cap. V, 9.* dum inquit: *Auarus non
implebitur pecunia; vel, vt Castalio vertit:
Qui pecuniam amat, is pecunia insatiabilis est.*
Diuinam hanc sententiam paulo fusius augusta
sua Suada explicantem, exemplisque illustran-
tem Augustinum, e *Sermone XV. de diuersis,
cap. XV.* non pigrabor allegare: Ita enim, *di-
uitia, inquit, non afferunt satietatem, sed in-
flamman cupiditatem: nam vidimus quosdam,
cum haberent paruam pecuniam, paruis lucris
fuisse contentos; sed postquam cœperunt eis ab-
undare, auaritia fauces non clausit, sed exten-
dit, non irrigauit, sed accendit: poculum respu-
unt, quia fluium sitiunt. Tantum*

*Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia
crescit!*

(*Iuuenal. Satyr. XIV.*) Pexenfelder, p. m.
298. seqq. plura in hanc rem habet. Sed ta-
men istam pestilentissimam labem animos
quoque Sapientum inficere, dubio certè omni
caret, dum exemplis non caret. Videamus
tantummodo *Senecam*, Stoicæ Philosophiæ ad-
dictissimum, ideoque diuitiis habendis mini-
me

me tuo iure addictum: is multus est in paupertate commendanda, opibusque repudiandis, velut *Epist. 15.* scribit: *Nihil habeamus, quod cum magno emolumento insidiantis eripi possit. Quam minimum sit in corpore tuo spoliatorum. Nemo ad humanum sanguinem propter ipsum venit. Nudum latro transmittit: etiam in obsessa via vel pauperi pax est. An vero ipse in paupertate vixerit, iudicent prudentes.* Quippe qui, primis Neronis annis, momenta maximi imperii, vna cum Burrho poneret: Et tot villas, tot hortos, & ter milies sestertium possideret, ac Senatoria quoque Romæ auctoritate floureret. Vid. Tacitus *Lib. XIII. Annalium.* Sic facilius invenitur, qui contemnat opes, quam qui fastidiat! Conf. plura inferius *Cap. XL. Obs. I.*

CAP. XI.

DE CÆNEO.

I.

Recte Cl. Brunnerus noster in Notis ad hoc Caput obseruat, veteres fabulas retulisse, eos *ferro violari non posse*, qui bello acres, a præliis semper, illæso corpore victores reuertebantur. Militaris enim heroum animus, agilitas, fortitudo & prudentia certe facit, vt omnes hostium insultus reprimant, & irrupturos

ROS

ros præueniant, & interficiant prius, quam fau-
cientur. Qua laude florent in Sacris Samson,
David, eiusque heroes, nec non Iudas ille
Maccabæus; in profanis commemorantur Æ-
neas, Alexander Magnus, I. Cæsar & alii plu-
res: interque hos connumerare liceat Geor-
gium Castriottum, Epirotarum Principem, qui
non sine ingenti Ottomannicæ potentia pro-
bro, multis grauisissimisque cladibus repu-
blicam suam vindicauit, validissimeque defen-
dit: ac eo insuper brachii robore polluit, vt v-
nico ictu apri & tauri capita amputare, vel
etiam duos homines simul transuersim disse-
care posset: eiusque acinaces tanti ponderis
& magnitudinis erat, vt nemo illum commo-
de vibrare potuerit. Plura de eo legi meren-
tur apud Petrum Matthæum in *Histor. Ludou.
XI. Vol. I. lib. IV.* Idem noster Palæphatus
de Cæneo in præfenti, & Cycno sequenti Cap.
narrat. Qui tamen tandem, licet vulnerati
non fuerint, alio genere mortis occubuerunt.
Quod etiam aliis heroibus accidisse, legimus.
Vt adeo contra mortem nihil firmum sit & va-
lidum! Quæ de *inuulnerabilitate*, vt ita loquar,
huc referri possent, sequ. Cap. Obs. I. vide-
antur.

II. Potius hanc rem ad *Virum sapientem &
virtute præditum* accommodemus, qui, tamen-
si inquilinis exterisque calamitatibus acerrime
impetitus, *animum* tamen *constantem*, immo-
bi-

bilem, & nullis viribus concutiendum retinet,

*velut rupes, vastum quæ prodit in equor,
Obuia ventorum furis expositaque ponto,
Vim cunctam atque minas perfert cælique
marisque,*

Ipsa immota manens.

(Virgil. *Æn.* X.) Eleganter in hanc sententiam Seneca *Epistol.* 85. *Sapienti*, scribit, non nocetur a pauperibus, non a dolore, non ab aliis tempestatibus vite: tunc maximus, cum illi fortuna se opposuit. Et in libro, cui titulus: quod in Sapientem non cadat iniuria, *Tantus est*, ait, *Sapiens*, nec illum afficere iniuria aut contumelia potest. Et paucis interpositis: *Quid ergo?* quærit. *Nemo erit, qui laceffat, qui tentet?* & respondet: *Nibil in rerum natura tam sacrum est, quod sacrilegium non inueniat. Sed non ideo diuina minus in sublimi sunt, quia existunt, qui magnitudinem, ultra se positam, non icturi petant. Inuulnerabile est, non quod non feritur, sed quod non leditur. Itaque non refert, quam multa in illum coniciantur tela, cum sit nulli penetrabilis. Similia ex Cassiano super *Psal.* I. afferre liceat, qui, *Vir*, inquit, vocatur à viribus, qui nescit in aduersis tolerando deficere, aut in prosperis aliqua elatione se iactare: sed animo stabili defixus, & cælestium rerum contemplatione firmatus,*

tas,

tus, manet semper impavidus. Quæ paulo infra *Cap. XIII. Obs. II.* dicta sunt, huc etiam pertinere videntur.

CAP. XII.

DE CYCNO.

I.

De hoc Cycno perinde ac de Aiace Telamónio, nec non de Cæneo in præcedenti capite dicitur, eos fuisse *inuulnerabiles*. Ac de Aiace quidem narrant fabularum conditores, eum ab Hercule nimis adamatum fuisse, ut, cum aliquando Salaminem venisset Hercules, & diuertisset ad Telamonem, conspectum Aiace, adhuc infantem, pelle sua leonina circumdedit, a Diisque precatum fuisse, ut qua parte puer hac pelle tegeretur, foret inuulnerabilis: quod & factum ita esse, nugantur porro, fuisseque Aiace toto corpore impenetrabilem, excepto latere: id enim contactum non fuisse. Quare Ovidius de Aiace *Lib. XIII. Metamorph.* canit:

Dixit, & in pectus tum demum vulnere passum,

Qua patuit ferro, lethalem condidit enses.

Occasionem hinc de illo execrando maleficio ac detestabili scelere agendi nanciscimur, cui
in

in primis Martis alumni sese mancipare solent: dum arma incantare, Crucifixi imaginem compungere, hostiam consecratam, certis characteribus signatam, indusio, vel vestibus insuere, aliasque scripturas magicas vel circumferre, vel cuti etiam, obducta cicatrice, inferere student, quibus tandem se *inuulnerabiles*, ac gladiis, telis, globulis, e bombardis emissis, aliisque armis impenetrabiles fore, vanissime credunt. Præterquam enim, quod media ipsi adhibeant impia, nefaria, superstitiosa, & in DEVM, qui ignominiose hic tentatur, eiusque Sacrosanctum Meritum & Sacramenta, ordinem atque constitutionem, maxime iniuria, quippe is corpus humanum a primo statim creationis momento peruium ac penetrabile condidit: certe fieri non potest, vt cutis illa mollis ita vere, & iuxta naturæ ordinem, a quo DEVS, nisi ad illustrandam suam gloriam, quæ hic tamen locum nullum habet, non abit, ita induretur ac obfirmetur, vt omnem armorum acie ac globulorum impetum eludere queat: sed Diaboli fascinatio & ludibrium subest, qui hominibus, sub irreparabili salutis æternæ periculo, ita insidiatur, & vel ipse globulorum impetum, si quando ad corpus deueniunt, retundit, aut aliud corpus obiicit, vel aciem ferri habetat, vel aliis modis, quos mille fraudum iste artifex nouerit, cutem a vulneratione præseruat. Vocatur ars hæc Diabolica *Indusium Magicum*,

Arc Passauensis, Passauer-Kunst/ Fests machen/ Hartmachen/ Noth-Hembde &c. Ac originem appellationis Artis Passauensis Frommannus, in eruditissimo Tractatu de Fascinatione, Lib. III. Part. IV. Sect. I. Cap. VII. §. 7. p. m. 595. hanc refert: Ars hac, inquit, Passauensis, die Passauer-Kunst/ dicitur, quia in exercitu illo, qui circa Passauum collectus, postea Anno 1611. in Bohemiam irrupit, & Pragam occupavit, primo innotuit, & per totam Germaniam passim disseminata est, a que carnifice eius loci primo militibus communicata dicitur. Sennertus lib. 5. Princ. Med. p. 521. Tales autem vernacule dicuntur, Fest/Hart/ Gel'art. Artis huius experimenta, pergit ille, ostendunt quoque in alis, cum bruta, poma, pyra, haleces, butyrum &c. ita indurant, ut omnis aciei vim infringant. In hoc tamen Diaboli quoque impotentiam cognoscamus, dum non omnibus membris hanc obfirmationem afferre potest. Ita enim porro laudatus Frommannus d.l. ait: Non tamen omnibus corporis partibus indurationis istud ac immunitatis priuilegium concessum esse, dicunt, puta oculis, ori, ceruici, loco, qui inter scapulas est, axillis, genibus, atque has in fascino isto immunes esse, referunt. Ita iam in Aiace habuimus, eum in latere penetrabilem mansisse: & Achillem in talo vulnerabilem fuisse, in Notis Criticis ad Cap. XI. dictum fuit. Quid Iudæi de מן ידו, seu scuto Dauidis, tricentur, eo- que

que ipsum feliciter in bellis usum fuisse, nungentur, videre potest, cui placet, in Dissertatione nostra de *Insignibus Turcicis*, Sect. I. *Phasi* 7. Et pluribus apud Schickardum in *Tarich*, quem ibi allegatum quis consulat. O miseros homines, qui, dum corpus servare student, animam, vna cum corpore, magicis implicati laqueis, inconsolabiliter perdunt!

II. Non minorem reprehensionem meretur Ajax, & qui ei sceleris comites sunt, dum se ipsos violentis e vita manibus agunt pelluntque: hoc pacto belluis & feris crudeliores, quippe quæ in seipsas nequaquam sauiunt. Et horum numerum longa serie sacræ profanaque monumenta historiarum nobis exhibent, e quibus Saulem, primum Israelitarum Regem, nominare liceat, qui, ob invidiam, primo in Dauidem conceptam, odio tandem & vindictæ cupiditate, magis magisque in alia scelera ruens, eo devenit, ut regnum & victoriam, corpus & animam, suimet horrendus carnifex amitteret. Huic annumerandus mali consilii autor pessimus, Achitophel, & Magistri sui ac Senatoris O. M. proditor ingratisimus, Judas, infelicia ex infausto ligno pondera. Catonem alioquin, qui Uticensis cognominatur, fortitudinis velut miraculum laudant; in eo tamen insuberrisimi fuit animi, quod ultro sibi mortem conscisceret, nec I. Cæsaris gladium expectaret. Non enim suo, sed alieno moriendum

est scelere. Eodem dedecore atque dolore victos Xenocratem, Crassum Syllanum, Brutum, Cassium, Silium Italicum, Cornelium Gal- lum, Hannibalem, Neronem, aliosque, refe- runt historiae. Nec ab ea infania liberas legi- mus mulieres, quemadmodum de Monyma, Mithridatis vxore, *Plutarchus in Lucullo* refert. eam detractum a capite regium diadema collo circumligasse, seseque ipsam suspendisse. Cum autem corporis pondus fasciam regalem rupis- set, *exsecrandum*, dixit, *diadema, neque in tam tristi ministerio mihi profuisti!* Moxque cum in eam sputasset, eunucho regio se iugulandam obtulit. Huc Dido, Libyæ Regina, Amata, Regis Latini vxor, Cleopatra, Ægypti Regina, aliaque longe plures conferendæ. Quam ve- saniam multi ex Ethnicis Sapientes, vt fortis animi exemplum, laudare non dubitarunt. Sed Peripateticorum omnino verissimum pronun- ciatum hic magis obtinet; quibus *timidus po- tius, quam fortis talis ἀντόχευε* dicendus est, *quippe qui fuga, metuque molestia, infamia, do- loris, mortem oppetit, non ob honestatem.* Se- neca tamen, Stoicæ Philosophiæ tenacissimus, modo laudat e placitis suis, modo quoque vi- tuperat istam in semetipsum violentiam. *Epi- stola* enim 13. ita inquit: *Cicuta magnum Socra- tem fecit; Catoni gladium assertorem libertatis extorque, & magnam partem detraxeris glorie.* Sed alius mentis est in *Epistola* 24. vbi, *Sapi- ens,*

ens, inquit, non fugere debet e vita, sed exire. Eleganter quoque a Cicerone, dum mortem Catonis voluntariam *Lib. I. Offic.* laudasset, in Somnio Scipionis, *Paulus Pater*, ita loquens Scipioni, introducitur: *Tibi, Publi, & piis omnibus retinendus est animus in custodia corporis: nec iniussu eius, a quo ille est vobis datus, ex hominum vita migrandum est, ne munus humanum, assignatum a DEO, defugisse videamini.* Nihil sane miserius est istis hominibus: dum enim dolores, aut pœnas etiam imminentes, sed desituras, effugere se, putant, æternos sibi horrendosque cruciatus accersunt. Ea siquidem diuinæ Legis sententia est, ut homicidas sors sua maneat in stagno, quod igni ardet & sulphure, quæ secunda mors est, *Apoc. XXI, 8.* Nemo etiam homicida eternam vitam habeat in se manentem, *I. Ioh. III, 15.*

CAP. XIII. DE DÆDALO ET ICARO.

I.

De perspicaci hominis ingenio, quo abditissimos etiam naturæ recessus atque arcana inuestigat, e suisque penetralibus in apertam lucem profert, vidimus in Lynceo nostro supra *Cap. X.* Nunc alium ei adiungamus, Dædalum, qui, cum terra marique clausum sibi,

Labyrintho velut irremeabili carceri mancipatus, videret effugium, aerem adhuc patere liberum animaduertens, alas sibi filioque, mira artis ingenique sui sagacitate, succenturiantī aeri percommodas, e cera pennisque confecit, & humeris eas aptavit, quo remigio alarum e Creta in insulam Sardiniam est vectus. Qua in re ipse Dædalus filium solaturus, de Minos, captivos se tenente, apud Ovidium *Lib. IX. Metamorph.*

- - - *terras licet, inquit, & undas*

Obstruat; at cælum certe patet, ibimus illac:

Omnia possideat, non possidet aethera Minos.

Quod excellentis atque solertis ingenii nobis imaginem sistit. Hoc enim nullis difficultatum carceribus & repagulis claudi potest; sed omnia suo volatu permeat, suo acumine inuestigat, sua solertia consequitur, adeò, ut non inferiora tantum huius vniuersi, sed & aërem sublimem ac cælum ipsum & suprema sidera, velut citis pennis, peruolare cognoscereque, certum sit: & verum fiat illud tritum:

- - - *Sapiens dominabitur astris.*

Animus enim, iudicio l. Lipsii Lib. III. Physiol. Dissert. 19. momento omnia peruadit, sideribus velocior, cogitatione velocior, temporibus velocior. Paria fere habet Idem Lib. I. Adm. cap. XIII. Ita: Mens, inquiens, hominis momento summa, ima, propinqua

qua, disſita, permeat & peruadit. Quæ cogitationes tam fœcundæ ſunt, vt eximia rerum, quantumuis diuerſiſſimarum exempla parturiant indies & pariant, vt in anguſta Intellectus humani circumferentia res quasuis maximas & immenſas ſit reperire. Quod iterum laudatus Lipſius *Lib. III. Phyſiol. Diſſert. 2.* hoc ſuo confirmat ſuffragio: *Omnia, quæ in mundo ſunt, homo continet, & in capaci ſua mente geſtat.* Vnde conſtans & Phyſicorum & Medicorum ſententia eſt, hominem *μικροκόσμου*, ſeu paruum mundum, eſſe. Qui qua ratione dicatur, conſulat, cui placet, Sperlingii *Inſtitutiones Phyſicas, Lib. IX. Cap. I. Quæſt. II. p. m. 1292. ſeq.*

II. Diſcimus hinc etiam, mentem hominis ſapientis, quamdiu viuat, ſua ſemper libertate gaudere, nec vllis vnquam periculis, vel difficultatibus poſſe dimoueri. Et quanquam membra vinculis catenisque conſtringantur, corpus tenebriſis cauernis includatur, lumen diurnum oculis præripiatur; mens tamen inconcuſſa manet, ſemper libera per vniuerſum in aprico tendit, lumen ſuum ſuosque radios reciprocando tenet inoffenſos & illibatos. Ea enim

Sola nec inſidias inter, nec militis enſem,

Nec mare, nec ventos barbariemque

ex ſententia Quidii Lib. IV. Trift. Eleg. In qui

se ipsum in exilio suo, quo ab Augusto Casare damnatus in Pontum relegabatur, consolatus exemplum sistit, dum *Lib. III. Trist. Eleg. VII.* ad amicos scribit:

*En ego, cum patria caream, vobisque, do-
moque,*

Raptaque sint, adimi qua potuere mihi.

*Ingenio tamen ipse meo comitorque fruor-
que;*

Cesar in hoc potuit iuris habere nihil. &c.

Etenim si libertatem corporis nemo bonus, nisi cum anima simul, amittit, dicente Sallustio in *Bello Catilin.* fieri tamen affolet, ut vel tyrannide praevalente, vel hostilitate furente, vel alia causa, labefactetur ea, & amittatur, ut sint, qui fortius pro libertate loquantur, quam pugnent, velut Nepos loquitur in *Thrasybulo suo Cap. II.* Sapiens tamen libertatem mentis nunquam sibi adimere patitur, & quando eam imminui finit, iam non amplius liber est, verissimo Ciceronis iudicio in *Paradoxo V.* quod est: *Omnes sapientes liberos esse; & stultos omnes seruos.* Qui prolixius ibi videatur: & consulatur vna *Edonis Neuhufii Theatrum Ingenii Humani, Lib. II. Cap. XIII. p. m. 257. seqq.* ubi eleganter in hanc rem plura disserit.

III. Hanc vero, volatu elabendi artem (loquamur ita nunc ex fabula) Dædalus non ex-

cogitasset, nisi Labyrintho, qui, Virgil. *Lib. V. Æneid.* canente,

- - - *Creta fertur - - in alta*

*Parietibus textum cœcis iter ancipitemque
Mille viis habuisse dolum, qua signa sequen-*
di

Frangeret indeprencsus & irremeabilis error,

inclusus fuisset. Calamitatum enim beneficio latisima ingenii nostri excellentiæque amplificandi via sternitur: quippe, angustiis, aut necessitate constrictum, compulsumque, maximè acuitur, & ad libertatem vindicandam subtilissima quæque strategemata, quæ vel fieri non posse videantur, vel admirationem deinde summam, gloriamque magis conspicuam assequantur, inuenit & producit. Non incongrue Ouidius *Lib. II. de arte amandi*, haud procul ab initio, canit:

*Ingenium mala sæpe mouent: quis crederet
vnam,*

Aërias hominem carpere posse vias? &c.

Verius Regum Sapientissimus Salomon, *Prov. XXIX, 15. Virga*, pronunciat & correctio tribuit Sapientiam. Sunt enim calamitates homini Sapientiæ virtutumque studio deditissimo, velut ventus, qui prunas flatu suo magis excitat incenditque, vt in flammam illustriorem emineant; vbi vero is defuerit, sen-

sim elanguere videas & exstingui. Testem vocamus *Nasonem*, qui similem in modum inquit *Lib. I. Amor. Eleg. II.*

Vidi ego, iactatas mota face crescere flammam;

Et vidi, nullo concutiente, mori.

Pari ratione res aduersæ animum sapientis & virtutibus præditi Viri fuscitant, & opportunam sublimioris gradus conscendendi occasionem præbent. Exempla prostant vbique luculenta; in Sacris quidem Iosephi, Davidis, Danielis, aliorumque; in profanis Cyri, Romuli, Tulli Hostilii, multorumque, e pastoricia forte ad summam dignitatem euectorum: *Publicolæ* quoque, *Curii Dentati*, *Marii*, *Abdolumini* pluriumque, post molestam cæteroquin ruris culturam præclaras præturas, dictaturas, & imperia summa consecutorum: quorum postea pietas, animi moderatio, prudentia & regnandi solertia, mirum quantum enituit, & insignem ac nunquam morituram posteritati laudem reliquit. Sic *aduersæ res homines domant, & docent, quid opus sit factò*, velut *Cato* in Senatu Romano pro *Rhodiensibus* dixit, apud *Gellium Lib. VII. Cap. III.* Ut verum quoque sit illud *Apuleii* in *Apologia* sua: *Quemcunque in aliqua laude miramur, illum paupertas ab incunabulis nutrita est.*

CAP. XIV.

CAP. XIV.

DE ATALANTA ET MELANIONE.

I.

Quam supra *Cap. V. Obs. IV.* paucis attigimus, *foedam impotentis libidinis metamorphosin*, aut, si ita liceat appellare, *metempsychosin*, nunc paulo fusius pertractare animus est. Occasionem nobis præbent Melanion & Atalanta, qui amore impudico ardentes, in leonem ille, & hæc in leonam, vti fabula narratur, sunt permutati. Tantam enim vim libidinis, videmus, esse, vt non tantum corpus & vires enernet, sed etiam mentem obnubilet, rationem hebetet, caligine velut suffundat iudicium, vt nec rei amata vitia cernant homines, nec pericula & damna, vere dixerim innumera, inde surgentia, præsentiant, prospiciant, animaduertant, fiantque hoc modo amantes amentes. Vt *nihil sit tam mortiferum ingenis, quam libido*, iudice Lipsio, *Monit. Polit. lib. II. cap. XVII. Amor forma*, loquar porro verbis S. Hieronymi *lib. I. ad Iouinianum, rationis obliuio est, & infamie proximus, foedum, minimeque conueniens animo sospiti vitium, turbat consilia, altos & generosos spiritus frangit, a magnis cogitationibus ad humil-*

millimas pertrahit. Quid mirum iam, dicere, homines, ratione & iudicio, quibus a brutis differunt, destitutos, in belluas mutari? Quem admodum enim

- - *prona spectant animalia cætera terras, ac solum præsentia, & quod præ oculis est, contuentur, de futuris minime sollicita; sic homines, voluptatibus dediti, æternæ meliorisque vitæ incurii oblitique, in res præsentis & caducas se immergunt, volutantque.* Fateor, inquit Seuerinus Boëthius lib. IV. de Consol. Philos. prosa IV. *nec iniuria dici, video, vitiosos, tametsi humani corporis speciem seruent, in belluas tamen animorum qualitate mutari.* Consentientem habemus quoque A. Gellium, Lib. XIX. Noct. Attic. c. II. ore fere Christiano loquentem: *Nimia voluptas, e gustu & tactu, sicut sapientes viri censuerunt, omnium rerum fœdisima est. Iste autem voluptates due gustus atque tactus, id est, libidines, in cibum atque Venerem prodige, sole sunt hominibus communes cum omnibus bestiis, & idcirco in pecudum ferorumque animalium numero habetur, quisquis est his ferinis voluptatibus præiunctus.* Aspiciamus in præsentis negotio Salomonem, de cuius stupenda Sapiencia DEVS ipse testatur, dum I. (III.) Reg. III, 12. inquit: *Scito, me tibi tantam mentis sapientiam atque prudentiam conferre, ut tibi par nemo neque ante te fuerit, neque post te futurus sit.* Conf. Libri eiusdem Cap. IV,

IV, 29. *seqq.* Attamen ingenti mulierum numero, amorique deditus, simul mente captus fuit & ratione, vt amplius non intelligeret, vnum solum illum & verum DEVM, quem Patres eius & ipse prius coluerant, constanti cultu prosequendum esse; sed in turpissimam prolaberetur idololatriam. *Ibid. Cap. XI, 1. seqq.* Perpendamus Samsonem, qui inuicto robore millia multa hostium vel solus saepe aggressus vicit, & leonem, veluti hœdum, discerpfit; tamen impuro Delilæ amore constrictus, robur, libertatem & oculos amisit, vt velut in talpam mutatus, delituerit in ergastulo, ad molendum eo detrusus, *Iudic. XIV, 5. 6. XVI, 4. 21.* Dauidem vnus mulieris impudicus conspectus a fortitudine sua & magnanimitate heroica deiecit, vt grauissimo se adulterii crimine pollueret, *II. Sam. (II. Reg.) XI, 2. seqq.* Filius ille prodigus, qui omnes facultates suas cum scortis abliguriuit, communem cum suis cibum appetit, eorum quam similimus, dum sese in luxuriæ voluptatumque cœno volutauit. Quam in rem Clemens Alexandrinus ad Gentiles de talibus percommode loquitur: *Illi instar vermium in cœno & voraginibus, nempe voluptatis fluentis, inutilibus & stultis pascuntur deliciis, sicuti quidam homines. Sues enim cœno magis delectantur, quam aqua munda.* Eadem Chrysostomus *homil. 48. in Matth.* habet: *Quid isthac fœditas, inquit,*

non

non induit? Sues ex hominibus facit, imo vero etiam suis deteriores. Sus enim in luto voluitur, & stercore nutritur; hic vero lascivus homo abominabilem sibi mensam constituit, iniquas commixtiones excogitans & amores nefarios. Ita Herculem, intrepidum felicemque monstrorum domitorem & victorem, molles tandem foeminarum, Omphales in primis, amores ita eneruatum, monstri, quod Hermaphroditum vocant, similem effecerunt, ut sagittas, & clavam, leonisque exuvias, cum calatho & colo, cultuque foemineo commutaret, ac pensa & fila traheret. Et Hannibalem, Romanorum terrorem & victorem Campanæ illæ illecebræ adeo emollierunt, ut e generoso velut leone in meticulosum transformatus cuniculum videretur: quod eleganti Valerii Maximi sermone referendum duco. Ita autem Lib. IX. Cap. I. inquit: Campana luxuria perquam utilis civitati nostræ fuit. Invidtum enim armis Hannibalem illecebris suis complexa, vincendum Romano militi tribuit. Illa vigilantissimum Ducem, illa exercitum acerrimum dapibus largis, abundantis vino, unguentorum fragrantia, Veneris usu lasciviore, ad somnum & delicias evocavit. Ac tum demum fracta & confusa Punica feritas est, cum Septasia ei & Albana castra esse cœperunt. Quid ergo his vitiis foedius, quid etiam damnosius, quibus virtus atteritur, victoriæ languescunt, sopita gloriæ in infamiam convertitur, animique

pa-

pariter & corporis vires expugnantur? Adeo, ut
nescias, ab hostibusne, an ab illis capi, pernicio-
sius habendum sit? Ac eiusmodi mutationem
Iupiter, in cuculi, cycni, tauri, & aliarum be-
stiarum formas, sustinuisse fingitur, ut libidi-
nem suam explere potuerit. En tibi miram
hæc exempla & alia metempsychosin & meta-
morphosin moralem exhibent! Adeo vim ra-
tionis corporisque omnem lascivus ille & im-
pudicus amor imminuit, frangit, adimit? Quod
etiam de Diis suis antiqui Poetæ tradunt, eos
videlicet a Cupidine, amorum Deo, suis infi-
gnibus armisque spoliatos fuisse: quemadmo-
dum ex Philippo quodam Poeta Natalis Co-
mes, *Mythol. Lib. IV. Cap. XIV. p. m. 407.*
hunc in modum refert:

Συλήσαντες ὀλυμπον ἰδ' ὡς ὄπλοισιν ἔ-
ρωτες

Κοσμήντ' ἀθανάτων σκῦλα φρυαδόμε-
μιοι.

Φοίβη τόξα φέρουσι, Διὸς ἦ κεραιὸν,
Ἄρη

Ὅπλον καὶ κυνέην, Ἡρακλέους ῥόπαλον,
Εἰναλίσ τε θεῶν τεύχελές δόρυ, Θύρσα τε
Βάϊχς,

Πηνά πέδιλ' ἔρημ', λαμπάδα δ' Ἄρ-
τέμιδ.

Οὐκ ἀχθῶν ὀνητοῖς εἶκεν βελέεσσιν ἔ-
ρώταν,

Δαίμονες οἷς ὄπλων κόσμον ἔδωκαν
ἔχειν. Εχην-

*Exuviis superum leti decorantur Amores,
Alta quibus cœli est iam spoliata domus.
Extorsere Ioui fulmen, Phœboque sagittas,
Alcidae clavam, Marsque caret galea,
Mercurio desunt talaria, faxque Diana,
Sic Baccho thyrsis, sic pelagoque tridens.
Nec mirum est, iaculis homines quoque cedere
Amorum,*

Quis sua vel superi sceptrâ dedere Dei.

Insuper horrendum profecto est, reperiri tales homines, qui adeo fascinati non tantum omnibus facultatibus, sed & ipsa vita exui mutant, quam impuris nefandisque amplexibus ultimum longumque vale dicere. Horum in numero ponamus nunc strenuos Veneris bellatores, *Ovidium & Propertium*, quorum huius Symbolum velut fuit:

Laus in amore mori.

Lib. II. Eleg. I. Ille vero canit Lib. II. Amor. Eleg. X.

Felix, quem Veneris certamina mutua perdunt;

DI faciant, lethi causa sit ista mei.

Et paulo deinceps:

At mihi contingat Veneris languescere mori,

Cum moriar, medium soluar & inter opus.

II. Sed

II. Sed quorsum tandem ista vesania? *Pœnas* certe grauissimas eos omnes, qui sceleratæ sese libidini dederunt, luisse, legimus. Melanion noster & Atalanta Palæphato a leone & leæna, dicuntur, in antro dilacerati. Cum abominando libidinis æstu flagrarent antediluvianii homines, aqua quidem, incendiis accommodatissimo remedio, perierunt *Gen. VI. VII.* Quatuor & viginti millia Israelitarum occubuisse propter fornicationem, ex *Numeris Cap. XXV.* constat. Internecinum totius tribus Beniamiticæ, ad usque tantum sexcentos, fuga elapsos homines; Troianæ item vrbis & regni excidium, foedissimæ libidini, & iniquissimo raptui adscribendum venit *Iudic. XIX. XX.* Quinimo Sodomorum, cum vicinis tribus ciuitatibus, cœlitus irruente sulphure & igne, factæ subuersionis, & adhuc in ipsa lacus, Asphaltites dicti, aqua fumantis, libido & muta, quæ ab vrbe primaria Sodomiticorum cognominationem acceperunt, peccata causa fuerunt palmata, *Gen. XVIII. XIX. Sap. X, 6. 7.* Atque vtinam pœnæ istæ in corpore sufficerent; Sed quid dicamus de æternis cruciatibus, ab igne indefinenter sustinendis, & animam vna cum corpore nunquam non affligentibus? *Libidinosus enim perpetuis æstuat flammis: viuens enim Vencreo ardet incendio; mortuus vero æternos habitabit rogos, horrendum quidem vrendus, sed nunquam comburendus: elegantissima verba*

sunt Philippi Picinelli, in *Mundo Symbolico Lib. VIII. Cap. XIX. §. 272. p. m. 535.* Sententia enim diuina, talibus dicta, infallibilis & immotæ certitudinis est: *Adulteros & scortatores iudicabit DOMINVS*, Ebr. XIII, 4. *Neque scortatores, neque mæchi, neque molles, neque masculorum concubitores, regni DEI hereditatem possidebunt*, I. Cor. VI, 10. Sed pars eorum erit in stagno, quod igne & sulphure ardet, quæ secunda mors est, Apoc. XIX, 8. *Infelix voluptas! infelicioꝝ cupiditas atque luxuria! per transitoriam dulcedinem præparat sempiternam amaritudinem!* merito cum S. Augustino *Serm. LV. de Tempore*, exclamamus.

III. Itaque semper *DEVM* acerrimum vindicem, in omnibus nostris actionibus habeamus ante oculos velut positum, ne seueram & intolerabilem eius vindictam nostris ceruicibus accersamus. Quod egregio nobis exemplo reliquit Sabellicus *Lib. V. Cap. II. in Paphnutio Abbate.* Hic enim, cum Thaidem, nobile scortum, ab impudica & libidinosa vellet vita auertere, & ab ea secretiorem congregiendi locum posceret; ab ea in abditissimum domus cubiculum ductus erat. Hic loci vero, cum, ne ab aliquo conspiceretur, vehementer se vereri, diceret, *Ne dubita*, inquebat illa, *nemo hic iam te videre, præter DEVM, potest.* Accepta his verbis occasione Abbas, interrogauit eam: *An, DEVM esse, crederet, quem latere possint eiusmodi*

di occulta scelera, tum qui bonis premia, & malis proponat pœnas? Annuenti scorto respondit Vir sanctus: Cum hoc non ignores, sed fatearis, te credere; nonne omnium infelicissima es, quæ propter breuissimi temporis voluptatem, & te, & omnes, quibus tui copiam facis, perditum eas, cruciatibusque æternis deutes? Scelerum conscia mulier, statim in lacrymas prorupit; ac deinceps carnis lasciuam fremans ieiuniis, orationumque fatigationibus domans, pudicè sancteque vixit. Exemplum non absimile infra tradimus *Cap. XXVII. Obs. I.* Atque insuper, si peccatum vitare velimus, occasionem etiam studio & industria omni vitemus. Ita Melanioni & Atalantæ amœnus sylvarum recessus, & quod putabant, percommodum antrum, ad scelus & perniciem inseruiebat. Maxime societatem mulierum fugiamus. E familiari enim earum commercio multum damni oritur. Quod grauissime monet ac dehortatur Salomon *Prou. II, 10. seqq. V, 1. seqq. nec non VII, 1. 5. seqq.* atque e posteris eius Siracides, *Cap. IX, 9.* & alibi. Quod exempla nos, vbiuis obuia, probe docent. Neque nobis ipsis multum tribuamus & fidamus, continentia nostræ securi. Concupiscentia enim, quæ in nobis est, mala quasi ardor est ignis, accendit & inflamat, quidquid attingit: & ibi demum periculosissimam molitur ruinam, vbi summam tranquillitatem & securitatem pro-

mittere videtur. Quod utili exemplo *S. Gregorius* confirmat, *Lib. III. Dialog. c. VII.* de *Andrea*, Episcopo Fundano, qui quandam probatæ vitæ ac castimoniæ fœminam, intra palatium suum receperat, certus de sua eiusque continentia: at parum abfuit, quin paulo intra hanc libidinis fornacem in cineres redigeretur, veluti laudatus *Picinellus Tom. I. p. m. 555.* loquitur: quam curiosam ac moribus formandis multum idoneam, a *Gregorio* prolixè recensitam historiam, vt legat quis, ibidem obsecrat. Quanquam autem in praliis fuga locum semper non habeat, nec honesta sit; tamen in certaminibus Christianis, vbi omnibus vitiis resistere iubemur, hoc vnicum libidinis crimen scelusque fuga ipsa euitare ac vincere debemus, & possumus. Hoc ad mentem Apostoli *Pauli* eximie interpretatur *S. Augustinus Serm. CCL. de Tempore, Cap. I.* dum ita scribit: *Quod libidinem fugiendam esse, suggerimus, Apostolus Paulus euidenter ostendit. Qui cum omnibus vitiis prædicauerit resistendum, dum contra libidinem loqueretur, non dixit, resistite, sed fugite fornicationem. (I. Cor. VI, 18.) Ergo contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam? Nec tibi verecundum sit, fugere, si castitatis palmam desideras obtinere. Cum enim cætera vitia pugnando vinci soleant, sola libido est, qua fugiendo potius, quam pugnando, superatur. Exempla nobis imitanda sunt castissimi-*

AD CAP. XV. DE CALLISTONE. 85

stissimus Iosephus, *Gen. XXXIX, 7. seqq.* & Hippolytus apud Ouidium, *Metamorph. Lib. XV.* cuius fabulam e Iosephi historia fuisse expressam, Petrus Daniel Huetius docet *Demonstrat. Euangel. Proposit. IV. Cap. X. §. 6. p. m. 222.* Exempla quoque sunt Cyrus apud Xenophontem, (supra *Cap. III. Obs. I.*) Alexander Magnus erga Darii uxorem & filias, apud Curtium; Scipio apud Liuium, & alii. Quare, cum occasio, quod in Prouerbio dicitur, faciat fures; non me, putabo, errare, si dixerò, etiam mœchos & scortatores eam facere.

CAP. XV.

DE CALLISTONE.

I.

De Callistone hac, cui etiam patrem Lycaonem adiungunt, plura retulerunt figmentorum artifices, Poetæ: Sed Palæphatus non ster ipsum fabulæ momentum, de mutatione eius in vrsam, attingere volens, quo pacto res contingere potuerit, sententiam suam exponit. Quare etiam nos, cætera suis auctoribus relinquentes, Moralia, quæ in iis latent, huc non afferemus, sed vestigiis nostri Palæphati prescius insistemus. Ea consuli possunt in primis apud Pexenfelder. in *Ethica Symbolica*, sæpius iam laudata, *Symbol. X. p. m. 43. seqq.* & apud

Natalem Comitem, *Mythol. Lib. IX. Cap. IX. p. m. 992. seqq.* Iam præter alia commoda & damna, quæ ex venationibus emergentia breuiter strictimque supra *Cap. III. Obs. I.* attulimus, istud etiam Callisto tulit damnum, vt vitam, ab vrsa dilaniata crudeliter, amitteret. Ita sane, cum animalia feritatem suam in syluis & spelæis non exuant, in maximo venatores periculo versari, certum est, ac singulari prudentia & cautione, vna & intrepido fortique animo ac robore, opus ii habent. Cæterum venationes pugnarum præludia fuisse, vix vllus negabit. Homines enim ferarum internecioni continuo assueti, & in syluis ac montibus latentes, feritatem quandam ipsi assumpserunt, & in se inuicem grassari consueuerunt. Sed de hac re alii alias. Nobis placeat illa venatio, quam *Plinius* in se ipso *Lib. IX. Epist. XXXVI.* sine iactantia commendat, *Venor aliquando, scribens, sed non sine pugillaribus, ut, quamuis nihil ceperim, non nihil referam.*

II. Quanquam autem mulieribus interdum quoque animi corporisque fortitudo ac robur a natura sit concessum, vt ad res fortiter strenueque gerendas non adeo ineptæ videantur; potius tamen, quæ sui sexus munia sunt, tractent, cætera viris, vbi nulla quidem necessitas exigit, relinquentes. Sape enim e tali curiosæ rerum alienarum susceptione multæ calamitates, eaque satis lugubres, leguntur exor-

ta.

ta. Si Callisto nostra venationi, periculoso certe operi, non indulfisset, sed linum lanamque pro venabulo tractasset, vitæ discrimen istud non subiisset. Attamen & viris istud ca-coethes inest, vt negotiorum aliorum, negle-ctis suis, sint maxime curiosi, non sine suo rei-que etiam publicæ ingenti malo. Quod vi-tium accommodato Græci nomine πολυπραγ-μοσύνης insigniunt: & hoc ipso multi mortali-um in suum exitium ruunt, dum tritam illam & frequentem vulgaremque partium suarum viam, in rebus sacris pariter & ciuilibus vltro citroque, fastidientes, se iis negotiis immi-scent, quæ, sicut officiis demandatis non conue-niunt, quinimo ardua & viribus sunt imparia, ita euentu plerumque dubia & periculosa sunt, tristemque suis auctoris exitum & exitium relinquunt. Hi probe sibi dicta sciant verba eruditi morum magistri, Siracidis, quæ Cap. III, 22. seqq. e versione Castalionis ita habent:

Maiora & difficiliora tuis viribus ne quære, aut scrutare. Quæ tibi a DEO præcepta sunt, ea sancte meditare, nec in multis eius operibus esto curiosus. Non enim tibi opus est, vt oculis tuis arcana spectes. Quæ ad tua negotia non per-tinent, superuacuo curare noli. Nam plura ti-bi, quam pro humano captu, monstrata sunt. Multos enim sua decepit persuasio, eorumque mentes labefactauit opinio praua. (Pupulis or-bus lumine carebis, itaque scientiam, cuius ex-

pers es, ne profiteri.) Durus animus tandem malo mulēabitur, & qui periculum amat, in eo peribit. In tales quoque grauiter inuehitur Megalander Lutherus, cuius significantiora in vernaculo verba, *ex Præfatione in Salomonis Prouerbia* huc conferre placet: Wenn sonst nichts Böses wär in den andern / und hohen Ständen / als da ist / Weis / Hoffart / Haß / Neid / ꝛc. So ist doch diß einige Laster böse genug / daß sie klug und weise seyn wollen / da sie nicht seyn sollen. Und iederman geneiget / anders zuthun / denn ihm befohlen ist. Als / wer im geistlichen Ampt ist / der wil klug und thätig seyn im Weltlichen / und ist seiner Weisheit hie kein Ende. Wiederumb / wer im weltlichen Ampt ist / dem wird das Haupt zu enge für übriger Kunst / wie das geistliche Ampt zu regieren sey. Solcher Narren sind alle Land / alle Städte / alle Häuser voll / und werden in diesem Buch gar fleißig gestrafft / und ein ieglicher vermahnet / daß er des Seinen warte / und was ihm befohlen ist / treulich und fleißig ausrichte. Und ist auch keine Tugend mehr / denn gehorsam seyn / und warten / was ihm zu thun befohlen ist / das heißen weise Leute. Die Ungehorsamen heißen Narren / wie wohl sie nicht wollen ungehorsam noch Narren seyn oder heißen. Ita, quod per Prouerbum dicitur ab Horatio *Lib. I. Epistol. XIV. in extremo*:

Optat ephippia bos piger, optat arare caballus.

Exem-

Exempla satis obuia sunt in rebus publicis, ac
 utinam non cum famæ ignominia & capitis ia-
 ctura simul coniuncta. Quod accidisse legi-
 mus, præter alios, Vertumno illi ac Proteo, M.
 Iohanni Funcchio, qui modo e Theologo Poli-
 ticus, modo e Politico Theologus munia talia
 obiens, ac in primis D. Andreae Osiandri erro-
 rore implicatus; tandem profugus Regiomon-
 to in Poloniam secesit. At infelici plane e-
 uentu. *Ob πολυπρασμοσύνην* enim, *tanquam*
perturbator Pacis religioſæ & profanæ, coram
Rege Poloniæ, a Statibus Prutenicis accusatus
est, quod Duci suo, Alberto ſeni, ad praua conſi-
lia auctor fuiſſet; Paulo Schalichio, principi con-
fusionis & motuum cauſæ, adheſiſſet; Duci ſub-
ditos ſuſpectos feciſſet &c. Sententia igitur Re-
 gis, cum Matthia Horſten, & Iohanne Snellen,
 damnatus, & A. 1566. decollatus est: referente
 Ioh. Micralio, in *Synagm. Hiſt. Eccleſ. Lib. III.*
ſect. II. p. m. 492. 689. 695. Edit. in ſuo. E-
 ius verſus parænetici celebrantur hi fuiſſe:

Diſce meo exemplo, mandato munere fungi;
Et fuge, ceu peſtem, ἢ πολυπρασμοσύ-
νην.

III. Sed vt ad mulieres denuo redeamus, o-
 mni conatu ipsis suadendum ac persuadendum
 est, vt domi potius se contineant, quam alia
 multa, in primis pudicitia suæ, damna & peri-
 cula, suo intempestiuo egressu, adeant. Ex

ff §

enim

enim cum non tantum imbecilles sint, & *vas infirmius*, testibus S. Petro, 1. *Epist. III, 7.* atque *ferme, ut pueri, leui sententia*, Terentio, in *Hecyra Act. III. Scen. I.* sed etiam *natura sua effrenes*, Menandro apud Stobæum, *Sermon. LXXI.* quin imo *in natura habeant lasciuiam, quæ nisi quotidie amputetur, luxuriat, & syluescit instar arborum*, Hippocrate apud eundem, *Sermon. LXXII.* facile fieri potest, ut iacturam quandam faciant, & labem contrahant foedisimam. In primis hoc bene probeque a mulieribus innuptis, quas Virgines appellamus, obseruandum. Hæ namque, solitudinis ac recessus beneficio, integræ persistunt; & quo magis ab hominum oculis remotæ, eo maiori pretio ac æstimatione habentur.

Εἰς ὄχλον ἔρπειν παρθένοις ἔκκαλον,
In vulgus ire virgines, non conuenit,

Euripides dicitur in *Oreste Act. I.* Inde fit, ut in Sacris Hebraico sermone vocentur *abscondite*, S. Hieronymo id obseruante, qui in *Quæst. Hebr. in Cap. XXVIII. Gen.* ait: *Quæ abscondita est, iuxta idioma Linguae Hebraeæ, consequenter & virgo est.* Conf. *Gen. XXIV, 16. Esa. VII, 14. Cant. I, 3.* Sunt enim instar liliorum, quæ intacta candorem suum & odorem retinent; quam primum autem manibus contrectata fricentur, utrumque

amitt-

amittunt, & foetorem post se relinquunt. Hoc eleganti cæteroqui non bene castus Catullus, in Nuptiis Pelei & Thetidis, expresit carmine:

*Vt flos in septis secretus nascitur hortis,
Ignotus pecori, nullo contusus aratro,
Quem mulcent auræ, firmat sol, educat
imber,*

*Multi illum pueri, multa optauere puella:
Idem cum tenui carptus defloruit ungue,
Nulli illum pueri, nulla optauere puella;
Sic virgo dum intacta manet, tunc chara suis;
sed*

*Cum castum amisit polluto corpore florem,
Nec pueris iucunda manet, nec chara puellis.*

Cuius rei testes sunt perquam multæ virgines, quarum afferre paucas liceat; ac in primis Dinam, Iacobi filiam, quæ egressa est ad spectandas eius regionis mulieres: sed infelici aspectu. Nam, quæ spectatum venit, venit, ut ipsa impudice spectaretur, atque rapta fulgentem virginalis decoris gloriam amitteret, *Gen. XXXIII, 1. seqq.* Huius ex nefando post concubitu affinem, Thamarem, quoque adducamus, quæ in viam publicam sese, pessimo mentis consilio, contulit, & scelerato incestu suo commiscuit socero, *Ibid. Cap. XXXIX, 12. seqq.* De Proserpina, rapta a Plutone, Ovidius *Lib. V. Metamorph.* & Claudianus in *Libris*

Libris de raptu Proserpinæ, narrant, quæ flores collectura, simul florem pudicitiae perdidit, ut frustra queratur apud Ovidium loc. cit.

*Exul ad immanes Erebi detrudor hiatus,
Et mihi virginitas pariter cælumque negatur:*

*Eripitur cum sole pudor, terrisque relictis
Infelix Stygio ducor captiua Tyranno.*

*O male dilecti flores, despectaque matris
Consilia! O Veneris deprensa serius artes!*

Iam quid salui possit esse mulieri, sit cuiuscunque velit discretionis sexus, pudicitia amissa? rectissime Lucretia Romana, stuprum a Tarquinio violentum passa, dicit quæritque apud Livium Decad. I. Lib. I. Ita fit, quod Martialis de quadam Læuina canit:

Incidit in flammam, iuuenemque secuta, relicto

Coniuge, Penelope venit, abitque Helene.

Idem proh dolor! indices cernimus, virgines deambulantes egredi Penelopes, regredi Helenes; egredi virgines, regredi mulieres, imo meretrices. Prudenter ergo S. Martinus apud Sulpit. Dialog. 2. Mulier, inquit, intra murorum munimenta se contineat, cuius hæc prima virtus & consummata victoria est, non videri. Aristoteles testatur V. Polit. suo tempore in urribus creatum esse præfectum, qui mulieribus

lieribus intenderet, ne vagarentur, sed domi se
 continerent. Et apud Sinas, inquit Magallianus,
 etiam hodie nervus pedis eliditur puellis, ne do-
 mo exeant, vti habet eruditissimus Picinellus
 in *Mundo suo Symbolico Lib. III. Cap. LXXIX.*
 §. 225. p. m. 186. b. Multam certe eamque soli-
 citam & feueram virginum mulierumque custo-
 diam apud Græcos, Romanos, Persas, Iudæos,
 Italos, & Turcas fuisse: ac hodiernum esse, plu-
 rimi Scriptorum memoriae produnt, quos vi-
 dere licet in Dissertationibus duabus *de Cura*
Virginum apud Veteres D. Ioh. Phil. Pfeiffers
 P. P. Regiomonti, ibidem 1672. excusis, & Conf.
 supra *Cap. II. Obs. I. & II.*

CAP. XVI.

DE EVROPA.

I.

Etiam si *taurus* alioquin animal sit tam quod,
 præter cætera, multis præditum utilitatibus
 & virtutum simulacris, hominibus maximo est
 vsui & documento; tamen ad præsentem de Eu-
 ropa fabulam non incongrue quoque facere
 videtur propter vehementem & concitatum,
 quo fertur in sexum sui generis sequiorem, e-
 stum & libidinem, vt nec socium alium patia-
 tur, sed cornibus vehementer impetat. Qua-
 lis etiam videmus esse libidini deditos, & ex-
 perimur multis iisque tristissimis cladibus, qui-
 bus

bus sese, ob vilissimum sæpe scortum, riuales aggredi, conficereque non extimescunt. Ac quemadmodum tauri, expleta Venere, non amplius cum fœminis pascuntur, velut Philosophorum summus, Aristoteles, obseruat *Lib. VI. Cap. XVIII.* de historia animalium; ita sæpe accidit, vt sordeat tandem ista nefanda commixtio autoribus, & ex amore intensissimo infensissimum deinde odium exurgat. Ita memorabilis est in Sacris de Ammone, Dauidis Regis filio, historia, qui, cum Thamarem, suam e Patre sororem, constuprasset, *eam deinde multo maiore odio persecutus fuit*, vt nec aspiciere, neque præsentiam eius ferre potuerit, *quam fuerat amore*, qui tamen adeo & ad tabem vsque vehemens erat, *persecutus, II. Sam. (Reg.) XIII, I. 2. 14. 15.* Præterea, etiam huc commode poterimus accommodare, quod Nazianzenus in Præceptis ad Virgines, haud procul ab extremo, *Semina*, refert, *in agrum coniecta, perire, si tangantur cornibus bouum.* Eandem enim libidinem, affirmare possumus, semina virtutum omnium in hominibus suffocare ac perdere. Sed quoniam de hac re pluribus iam in superioribus actum est, nihil amplius addimus, quam elegantissima tantum Hieremie Drexelii cogitata, quæ in *Trismegisto suo Lib. III. Cap. III. §. 2.* connotauit, eaque, vbi de eadem nostra fabula vberiori, qua polluit, eruditione & suada insigniter egit, hunc

in

in modum subiunxit: *Verissima hac effigies est hominis, carnis blanditiis iam capti. Plauto (uti Augustinus Cælius refert lib. 59.) Europam filiam, animam DEI Sponsam, interpretatur. Nam sicut regia illa virgo est, etsi patriam humentibus oculis respectaret, tamen a tauro, cui nimium blandita fuerat, a patria abducebatur: eodem prorsus modo anima, æterni Regis filia, maximo salutis periculo, per medios huius vitæ vortices, per procellosum hoc mare, ab indomito tauro, a suomet corpore, in vitiorum præcipitia abripitur; Et licet illa cælum, suam patriam, licet DEVM, Conditorem ac Parentem suum, sæpius respiciat; tamen a furente hac bestia longe a Patre abducitur. Sed sibi culpam illa imputet, cur fidei illius mansuetudini fidem habuit. Sic agit corpus, ubi suis nequitiiis vires acquirit: sic obducit miseram animam, sic ingemiscentem abripit per voluptatum fluctus in lacrymabile exitium. Hætenus disertissimus Drexelius, allegante sæpius laudato Pexenfeldero Symbol. XVI. p. m. 78.79. Europæ iam abductæ, & ad desperationem pronæ, sed solatio Veneris erectæ, frustra institutas querelas, Poëtico spiritu ritumque Horatius Lib. III. Carm. Od. XVII. expressit.*

II. Sed a fabula ad veram, & laudabili Palæphati nostri labore ac instituto relectam historiam nos accingamus, qua Europam ab homine **Cnosio**, qui Taurus cognominabatur, bel-

bello, inter alias prædas, raptam fuisse, refert. Hoc in re præfenti eo pertinere potest, vt nobis *militum insidias* exhibeat, quas in bello inter alia etiam *mulieribus* solent *struere*, ac iis potiundi causa multa fortiori, si non scelestiori, animo res suas agunt. Hac mente fuisse scribuntur, etiam in Sacra Historia, milites Holofernis, Assyriorum Imperatoris belli, qui, conspecta visendæ formæ Iuditha, muliere Iudæa, non solum eius pulchritudinem, sed etiam *Israëlitas* propter eam admirantes, sic inter sese *dicant*: *Quis Hebræos contemnat, qui cum tales babeant mulieres, pro quibus merito cum illis pugnemus?* Vti vertit Castalio in *Libro Iudith, Cap. X, 18. 19.* Iure quidem belli, si legitime id geratur, omnino licet etiam fœminas nuptas innuptasque in prædam agere, quod DEVS quoque suo populo permisisse legitur *Numer. XXXI, 18. 40. 46. Deuter. XXI, 10. seqq.* Vbi vero causa belli subest iniusta, & libidinis stimulo mulieribus insidiae ponuntur, raptusque, & quid non? intenditur; quod nefandum! hodiernis militum, in primis Turcarum Tatarorumque, moribus nefas non est, detestandum facinus habetur, ac, quod fortunæ bellicæ nimium quantum, e iustissimo DEI vindicis iudicio, validissimum ponit obicem. Sed hæc apud Politicos enucleatius proposita videantur.

CAP.

CAP. XVII.

DE EQVO DVREO ET
TROIA.

I.

Grandem illum, ac
instar montis equum, diuina Palladis arte;
 ceu Virgilius *Lib. II. Æneid.* loquitur, eum-
 que plenius describit, *edificatum*, alii multifa-
 riam interpretantur, quod in compendio vi-
 dere est supra in Notis ad hoc Caput. Alii va-
 riis accommodantes rebus præclaras inde do-
 ctrinas morum eliciunt, quarum cupido Lecto-
 ri Picinelli *Mundum Symbolicum Libr. V. Cap.*
XX. p. m. 384. & Michaelis Pexenfelder *Ethi-*
cam Symbolicam Symb. LXXIIX. p. m. 462 seqq.
 cominendo. Ego, nihil hic vetare, confido, si pau-
 lulum a mores erudiendi via digressus, equum
 istum cum *Scholis*, in primis superioribus, quas
 vocant *Academias*, breuiter strictimque confe-
 ram. In eo enim præstantissimos, legimus;
 fuisse Græcorum Duces militesque varii sta-
 tus & conditionis, inclusos; interque hos in
 primis Vlysses numeratur, homo ad omnes
 res tractandas aptissimus versatissimusque; quip-
 pe ingenio perquam excellenti præditus; cuius
 vitæ actionumque rationibus mirifice delectatus
 laudatus Pexenfelder multas inde morum for-
 ma-

G g

ma-

mationes in Ethica sua Symbolica passim & longa serie nobis exhibet; quas huc, vel summam referre, non est integrum. Ex hoc autem equo, intra muros Troianos recepto, conclusi Duces militesque prodeuntes, Troiam, decem annorum obsidione hæctenus, re infecta, cinctam, inuadunt, incensam, ciuibus & incolis cruentis stragibus interfectis, diripiunt, euertunt, & ultimo excidio delent. Pari ratione cum Scholis comparatum esse, dicamus. Reperiuntur enim in iis cum Duces, tum milites, qui efficacissima Pietatis, Legum, artium morumque doctrina exercitati bellum non tantum vitiis malisque aliis indicunt, sed etiam egressi validissime, vel in Congressibus Sacris diuino inferunt eloquio; vel in Iustitiæ campo in facinorosis sceleratisque mortalibus ea profligant & prosternunt; vel malis quibusuis aliis, Corpus quoque infestantibus, per salutaria remedia præueniunt, eaque pellunt. Ut non immerito Artes πηγὰὶ καλῶν, fontes bonorum, apud Xenophontem *Libr. VII. Cyropæd.* audiant. Cum enim ibi Cyrus urbem Sardes expugnasset, ac diripere constituisset, Cræsus graui Oratione eum a consilio suo diuertit, vt ciuibus vrbique, tanquam præstantibus artificibus, artiumque regiæ cuidam, pepercerit; nec fontes istos bonorum euertere voluerit. Ita sane e sententia Ciceronis Orat. pro Archia Poeta: *Artes adolescentiam alunt, senectutem oblectant,*
se-

secundas res ornant, aduersis perfugium & solatium praebeant, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur. Denique, vt Ouidius canit, Lib. II. de Ponto, Epist. IX.

- ingenuas didicisse fideliter artes,

Emollit mores, nec finit esse feros.

Quod paulo pluribus expolitum damus infra Cap. XXXIV. Obs. I. & Conf. Obs. II. Cap. XXII.

II. Eximie nobis etiam hic arridet erudita CL. Brunneri obseruatio, quam supra in Notis huius Capitis ad vocem Σίμων pag. 84. posuit, vbi, non aliarum, inquit, rerum, quam optimarum, perniciosum magis esse abusum; in primis eloquentia, vbi eam nequitia improborum, in foedissimis etiam vitiis, profunda simulationis instrumentum esse cogit. Ita sane est. Quid enim ingenio sublimi diuinius? At quam saepe ad pessima consilia & actus eo abutuntur mortales. Quid virtutibus nobilior? Sed quam multoties sub iis, velut pallio, nefaria occultantur vitia. Quid liberalibus artibus excellentius? Sed quam vane argutiis & inanibus speculationibus inservire debent. Quid eloquentia laudabilior & admirandum magis? Sed quam nequiter ad fallendos perdendosque alios adhibetur. Quid Musica iucundius & efficacius? Sed quam foede lasciuis cantilenis & impudicis congressibus & choreis deturpatur. Quid mechanicis artibus

bus præstantius commodiusque? Sed quam turpiter ad noxias sæpe machinationes facere coguntur. Quid victu & cultu utilius, imo necessarium magis? Sed quam male sibi homines iisdem consulunt, & corpori simul atque menti maximum sæpe damnum accerfunt. Quod *Siracides* optime aduertisse censendus est, dum *Cap. XXXVII, 33. 34.* dicit monetque: *Noli te ullis ingurgitare deliciis, neue cibus profusus esto: nam nimias epulas comitatur morbus, & in bilem abit edacitas. Per edacitatem multi interierunt, cum temperantes diutius uiuant. Et ipso Salomone teste, Sapiens non est, qui vino & temeto delectatur, Prou. XX, 1.* Quid præterea religione sanctius & verendum magis? Sed quam sæpe, quamque impie sub eius prætextu pessima & scelerata quæque suscipiuntur, efficiuntur. Quod ingeniosissimus *Didacus Saavedra*, & ex eo *Picinellus* in *Mundo Symbolico Lib. V. Cap. XX. §. 355.* in equo nostro Troiano expressit, eique hanc epigraphen addidit: SPECIE RELIGIONIS. Eo enim equus iste pertinere Græcis videbatur, vt, sub religionis & voti specie, Trojanis extremum tandem exitium afferret; veluti pluribus videri apud eos, & *Virgilium Libr. II. Æneidos*, potest. De ignis Medicinæque & armorum, quinimo & eloquentiæ abusu sic canentem audiamus *Quidiam Libr. II. Trist.* circa medium:

igne

AD CAP. XVII. DE EQ. DVR. ET TR. ICI

*Ignem quid utilius? si quis tamen urere cetera
Comparat, audaces instruit igne manus.
Eripit interdum; modo dat medicina salutem,
Quæque iuuet, monstrat, quæque sit herba
nocens.*

*Et latro, & cautus præcingitur ense viator:
Ille sed insidias, hic sibi portat opem.
Discitur, innocuas ut agat facundia causas:
Protegit hæc fontes immeritosque premit.*

Adeo sæpissime, Iuuenalis Satyr. XIII. pronun-
ciato,

Fallit - vitium specie virtutis, & umbra.

III. Occasione insidiarum, quas equo suo durateo Troianis struxisse leguntur Græci, loquamur nos hic loci de *strategematibus*, in bello usitatis, quæ Val. Maximus *Lib. VII. rer. & gest. memorab. Cap. IV.* non incommodè vocat *partem calliditatis egregiam, & ab omni reprehensione procul remotam*: & exemplis id confirmat præclaris & prudentia plenissimis. Quibus adiungamus Jugurtham, qui callidis fere semper consiliis & frustrationibus Romana elusit arma, ceu Sallustius in bello Jugurthino prolixè, ac brevius Florus *Lib. III. Cap. I.* referunt. Neque astutis gestis, quæ laudatus Valerius Hannibali attribuit, accensendum prætermittamus, quod *Liuius* habet *Lib. XXI. Cap. XVI. & XVII.* Hic enim, cum ad Casilinum & Calliculam conclusus, euadere

se perquam commode non posse, vidisset, principio noctis fascēs virgarum atque arida farramenta præligari cornibus bouum, quos domitos indomitosque multos inter prædam agebat, iussit, & incendi, atque ita accensis cornibus ad montes agi, & super saltus ab hoste infesos. Quo tandem effectum est, vt ipse cum exercitu viam, hostibus in furorem agitatibobus cedentibus, faceret haberetque elabendi optatissimam. Sed & Sacræ Historiæ talia nobis exempla sistunt, vbi non aperto, sed occulto Marte hostes superati sunt. Ita DEVS ipse Iosua iubet, vt expugnaturus oppidum Ai delectos in infidiis ponat milites, & ipse oppidum aggrediatur: quo facto, & Iosua fugam simulante, vt hostem extra mœnia pelliceret, isti ex infidiis egressi urbem captam incendunt; reuertentes vero hostes Iosua insequitur, & ad vnum omnes trucidat. Vid. *Iosue Cap. VIII.* Alia consulantur exempla Gideonis *Judic. VII, 16. seqq.* Israëlitarum, *ibid. Cap. XX, 29. seqq.* Davidis, *II. Sam. (Reg.) V, 23. seqq.* Iudæ Maccabæi, *II. Maccab. VIII, 5. 6. 7.* Atque vt eiusmodi strategemata suam vtilitatem habent; ita nec iusta sua laude & commendatione sunt defraudanda. Per ea enim res bellicæ breuiori temporis spatio conficiuntur, & maioribus sumptibus parcitur, neque inde tam multorum hominum ex vtraque parte sanguis profunditur,

ne-

neque ciuitates & regiones vastantur aut incendiis tam facile consumuntur. Idcirco etiam plura laudum præconia merentur, quæ videlicet nec contra fidem datam, (hæc enim etiam hosti seruanda est) neque dolo malo, aut per sicarios immisos, aut contra hostem priuatum & inimicum, excogitata scimus & usurpata. Hæc enim licite fieri, grauissimi auctores recte censent. *Nec ad iustitiam interest, cum iustum bellum susceperis, utrum aperta pugna, an insidiis viceris*, Canonici Iuris effatum est *Cap. Dominus 23. q. 2.* ex Augustino in *Quest. super Iob. Cap. X.* Alias Leges videtis in Collegio Politico, a Christiano Liebenthal *Exercit. XIV. Quest. VIII.* allegatas. Ea vero, quibus fides promissa frangitur, dolo malus admiscetur, iura etiam belli violantur, Ducum dignitas labefactatur, & honestatis ipsius ratio fraudulentis & illicitis istis actibus contraria est, nec laudem vnquam merentur, & parum absunt ab infamiae nota. *Nemo enim, qui fortitudinis gloriam consecutus est, insidiis & malitia laudem est adeptus: nihil enim honestum est, quod iustitia vacat*, inquit Tullius *Lib. I. Officiorum.* Et maxime probamus hic Flori dictum, quod habet *Lib. I. Cap. XIII.* *Eam, inquiens de Imperatore, Furio Camillo, vir sanctus & sapiens veram sciebat victoriam, quæ salua fide, & integra dignitate pareretur.* Neque etiam omnino approbamus

illud Choroebi, fortis inter eos, qui Troianis auxilio venerunt, iuuenis, apud Virgilium *Æneid. II.*

- - *dolus, an virtus, quis in hoste requirat?*

Quam male enim ipsi & sociis illa, quam tum suavit, armorum ad fallendos hostes mutatio cesserit, apud eundem Poetam Æneas queritur, dum inquit:

Hic primum ex alto delubri culmine telis

*Nostrorum obruimur: oriturque miserrima
cades,*

Armorum facie, & Graiarum errore iubarum.

Insuper hoc in Hercule venit probe obseruandum, quod nunquam hostes suos occulta vi aut astutia, sed semper aperta fortitudine & aduerso robore legatur deuicisse. Quem imitatus forte putandus erit Alexander ille Magnus, qui, ut refert Curtius *Lib. IV. Cap. XIII.* persuadere conantibus belli Ducibus, ac inter eos in primis Parmenioni, & Polyperconti, ut Darii exercitum, discordem moribus & linguis & incompositum, intempesta nocte opprimeret, respondit: *Larrunculorum & furum ista solertia est, quam præcipitis mihi? quippe illorum votum unicum est, fallere. Meæ vero gloriæ semper aut absentiam Darii; aut angustias locorum; aut furtum noctis obstare non patiar: palam luce aggredi, certum est. Malo me fortune*

tune

turæ pœniteat, quam victoria pudeat. Vox sane heroica ipsius indole ac insolita magnanimitate, quam paucissimis collatam comperimus, dignissima! Sed tamen idem quoque Curtius de eo memoriæ prodidit, quod contra Porum dimicaturus ad fallendum hostem dolum, quern *Libr. VIII. Cap. XIII.* suis actibus describit, intenderit. Atque hæc de strategematibus factis dicta sint. Conferri hanc in rem possunt Cl. Liebenhal/loc. iam alleg. nec non in *Colleg. Ethico, Exercit. VII. qu. VI.* Wendelinus *Philos. Moral. Lib. I. Cap. XIII. qu. 13.* Clapmarius *Lib. XI. c. X.* Lipsius *Lib. V. Polit. Cap. XVII.* & in primis Frontinus, tractat u de Stratagematibus. Speciatiim de iis, quæ in mari acciderunt, G. P. Harsdörfferus, in *Geschicht = Spiegel. Num. LXII.*

IV. Rebus iam, Græcorum dolosis consiliis, ad decipiendum perdendumque Troianos excogitatis & compositis, vnum adhuc deesse videbatur, talis videlicet, qui Troianos, sua per decem annos inuicta vrbe elicitos, in eam verbis fucatis & fallacibus adduceret voluntatem, vt facerent, quod Græci futurum maxime desiderabant. Huic causæ aptissimus est visus callidus ille & malitiosus veterator, Sinon, cuius ingenium ad fallendum a natura paratum non immerito dixeris, si eius natales inspicias. Filius enim fuisse scribitur Sisyphi, astutissimi omnium mortalium, adeo quidem, vt & Auto-

Ilycum, versutissimum furem & insignem latronem, astutia longe vicerit; cuius postea, facta inuicem amicitia, filiam in matrimonium accepit. Vid. inter alios Natalis Comes *Lib. VI. Cap. XVII.* Pexenfelder *Symb. LXXIX.* Atque ita verum facit Sinon, quod in Prouerbio dicitur:

Haud procul a proprio stipite poma cadunt.

Is ergo ad fallendum a natura imbutus, quin & vsu exercitatus, mira & omni ex parte, quæ ad commiserationem mouendosque animos pertinere videtur, composita oratione Troianis, vt incauti & inconsulti tandem in exitium suum annuerent, persuasit: Quam egregie, atque vt tantum Poetam decet, consignatam nobis Virgilius reliquit *Lib. II. Æneidos.* Atque ita euenit, vt imprudenti sua credulitate excœcati Troiani Græcorum crudelitati sese miserandum in modum permiserint, & se suosque omnes & urbem suam excindendos delendosque traderint. Hinc documentum utile ac necessarium capere debemus, vt hoc peruerso cæteroque seculo, quo totus mundus ex fallaciis & fraudibus est compositus, *caute ac circumspecte semper agamus*, & in primis *hostibus & inimicis nunquam credamus & confidamus.* Nunquam enim non fallendi arte vtuntur, vbi, vi & robore, atque aperta virtute nihil efficere se posse, vident. Et tali calliditate summa, iam supra diximus, Ingurtham sapius elusisse Popu-
li

li Romani arma & consilia; quin & Hannibalem
 idem fecisse, apud Lium passim legimus. Re-
 centiora huius & superioris ætatis qui exempla
 amat, Zeuecotium in Observationibus suis ad
 Florum, pag. 187. & alias, legat. Quare inimi-
 co, quamuis suppliciter verba faciat, ne crede:
 nam septem habet in mente scelera, sicut verissi-
 me Sapiientissimus Regum pronunciat Prou.
 XXVI, 24. Quod prolixius Siracides Cap. XII, 10.
 seqq. effert, ubi grauissime, inimico tuo, monet,
 nunquam credideris: nam quale aruginosum æs,
 talis est eius malitia. Et quamuis sese deiiciat,
 ac summissè gerat, aduerte animum, & ab illo
 caue; & eris ei perinde, ac qui speculum exter-
 seris, cognoscesque eum tandem non aruginosum.
 Eum apud te ipsum ne statueris, ne, te euerso, in
 locum tuum subeat. Eum tibi ad dextram ne
 collocaueris, ne tuam conetur occupare sedem,
 tandemque dicta mea recognoscas, & te verba
 mea remordeant. Quis misereatur incantatoris
 a serpente iecti? aut vllius, qui ad bestias accesserit:
 itidem etiam eius, qui hominem improbum
 audierit, seque eius peccatis admiscuerit? Vnam
 horam tecum in statu iusto permanebit, quod si
 nutaueris, non durabit. Labris quidem suauibus
 utetur, & multum garriet, & tecum bella
 oratione aget, & oculis illacrymabit, sed mens
 deliberabit de te in foueam precipitando: quod
 si tempus fuerit nactus, non explebitur sanguine.
 Mala si tibi acciderint, eum tibi priorem repe-
 rires.

ries: atque is opitulari se simulans, tibi calcem supplantabit. Caput suum quassabit, & manibus plaudet, & multa garriet, & personam suam mutabit. Omnia hæc accurate in Sinone licebit obseruare, duce Virgilio Lib. II. Æneid. vbi de eo inter alia canit:

*- - victor Sinon incendia miscet
Insultans.*

Sed vti credulitas magna sæpe damna & incommoda solet afferre iis, qui facile ac cito credunt; ita vicissim non raro contingit, vt iuxta sententiam Hesiodi,

- κακὴ βελὴ τῶν βελέουσιν κακίση,

Consilium malum consultori fiat pessimum, & res in propriam perniciem recidat. Exemplum dabit summus Aulæ Pharaonis Præfectus, Potiphar, qui vxori suæ, repulsam postulatae libidinis a castissimo Iosepho moleste ferenti, & iniquissime propterea de intentata pudicitiae læsione conquerenti, nimium credulus, & seuerè in fidelem seruum animaduertens, eum carceri mancipando, maiorem, quam Iosepho putabat inferre, pœnam ipse ac libidinosa eius coniux senserunt. Præterquam enim, quod fidelissimo Iosephi sui ministerio, propter quod ipse herus nullam prorsus rei domesticæ curam agere debuit, nisi vt ederet ac biberet, in posterum carere, curasque intermissas denuo suscipere

scipere debuerit, procul omni etiam dubio diuina benedictione illa omni, qua domi forisque in agris & pascuis, propter Iosephum, quem tamen iam eiecit, beatus fortunatusque fuit, destitutus vitam egit, *Genes. XXXIX, 3. seqq.* Huc referamus acta cum Hippolyto, quem nouerca Phædra apud Patrem Theseum tentatæ similiter pudicitia criminis, quo tamen eum pellicere frustra conata erat, amore impudico in iram deinde sæuissimam verso, falsissime accusauit, diris vero & imprecationibus pater stulte credulus deuouit. Cum autem, detestationibus his pondus suum, volente Neptuno, habentibus, Hippolytus, curru vectus, ab equis perterritis in auia & deuia quæque raptus, tandemque frustillatim discerptus fuisset; pessima illa mulier, audita morte priuigni, animi conscii morsus sentiens, marito scelus suum confessa, violentam sibi mortem ferro quoque intulit. Quando vero nobis de credulitate, sedulo cauenda, hic sermo est, non in alteram sententiam inclinamus, ac si nihil foret credendum. Siquidem hoc æque ac illud non tantum reprehensionem meretur, sed etiam tristes euentus habet pedissequos, quod, breuitatis gratia, vnico Godoliae in Sacris obstinato quidem non credendi consilio, sed tristissimo simul ac damnofo vitæ periculo, testatum facimus ex *Ieremiae Cap. XL, 13. seqq. & XLI, 1. seqq.* Quare vbique prudentia & cir-

circumspectione opus esse, nec statim rem, quam credimus, aggrediendam, censemus, & diui Gregorii Nazianzeni sententiam, quam in opusculo de vita sua habet, nostram facimus:

Τὸ γὰρ προχείρως πάντα πιστεύειν θέλειν,
Χείρην, τὸ πᾶσιν ἀνπιτείνειν ἐξίσης.

Τὸ γὰρ μὲν ἐστὶ καφότης, τὸ δὲ θεόσος.

*Nam cuncta prompte credere, est minus ma-
lum,*

*Quam si quis aequè denegat cunctis fidem:
Lenitatis illud, esseri hoc est pectoris.*

*Est ergo lucrum aliquod, neque omnibus audi-
tis fidem adhibere: nec omnia, tanquam impos-
sibilia, aspernari, ut ait Philostratus Lib. III. de
Apollon. cap. XIV.*

V. Gemino Troianorum errori, quinimo vitio, credulitati nempe atque securitati, tertium annumeremus licet, quod fuit gaudium insolens atque immoderatum, quo abrepti tripudiare, hilaria agere, ac epulis crapulisque se dedere, nulli dubitarunt. *Magna, inquit Ennodius, Lib. V. Epist. XVI. sunt gaudiorum imperia; expers est continentiae hilaritas, & in vocem gestit erumpere.* Sic eadem Aeneas de suis Troianis apud Virgilium Lib. II. *Aeneid.* refert:

.. Omnis longo soluit se Teucris luctu.

Diuidimus muros, & mania pandimus urbis.

Ag

Accingunt omnes operi : pedibusque rotarum

Subiiciunt lapsus , & stupea vincula collo

Intendunt : scandit fatalis machina muros,
Facta armis. circum pueri innuptæque pu-
elle

Sacra canunt , funemque manu contingere
gaudent.

Nos delubra DEum miseri , quibus vltimus
esset

Ille dies , festa velamus fronde per urbem.

Sed malo maximo. Et ista sacra, quæ pueri
& innuptæ puellæ cecinerunt , naniæ potius
fuerunt, internecionis præfagæ. Græcos enim,
porro Virgilius eodem libro mox subiicit, in-
uasisse

- urbem vino somnoque sepultam,

& omnia incendiis, direptionibus & ruinis so-
lo æquasse, trucidasseque obuios quosuis, ac
penitus deleuisse. Ita sæpius nimia letitia in-
mærorem euasit, & immodica voluptas dolorem
genuit, a nobis ipsis accersitum, inquit Helio-
dorus Libr. II. rerum Æthiopicar. Cap. VI. e
versione Dan. Parei. Præter ea enim, quæ
immoderata luxuria suis autoribus affert, in-
commoda, multa etiam eaque grauias, in rem
quoque publicam, damna redundant. Et vel
maxime belli temporibus noxia semper & da-
mno-

manosa fuit, Quantam stragem vino obruto-
rum militum in Turni castris Nisus & Eurya-
lus, fortissimi Æneæ comites, ediderint, vbi

*- - passim vino somnoque per herbam
Corpora fusa videbant: arreptos litore cur-
rus*

*Inter lora rotasque, viros simul arma iacere
Vina simul,*

Virgilius describit *Æneidos Lib. IX.* Quam
valide Campana luxuria fregerit inuictum a-
lioquin Hannibalem, superius traditum est
Cap. XIV. Obs. I. ex Valerio Maximo, *Lib.
IX. Cap. I.* Plura huc pertinentia per sum-
mam habet exempla sæpius laudatus Mich. Pe-
xenfelder in *Ethica Symbolica Symbolo LXXIIX.
n. III.* *Dabellandæ igitur tibi (& omnibus)*
sunt voluptates, quæ sæua quoque ingenia ad se
rapuerunt: has exturba, & inuisissimas habe, quæ
in hoc nos amplectuntur, ut strangulent; monet
seuerus vitiorum osor Seneca, Epist. LV.

CAP. XIX.

DE ÆOLO.

I.

In Æolo nostro laudatus iterum Michael Pe-
xenfelder in *Ethica sua, Symbolo XCIX.* &
in primis Nota VII. varias Lectori exhibet ima-
gines

gines eorum, qui vel nimium edaces sunt; vel abdomine saburrati; vel mendaciis asueti. Ac insuper spem aulicorum, ventis inanibus simillimam, ex Daniele Bartolo representat. Nos in præsens cum Mythologo, *Lib. IX. Cap. X.* per Æolum *rationem rectam sanamque* intelligemus, quæ nisi *affectibus*, interque eos omnium vna cum amore vehementissimo, *ira* videlicet dominetur, nunquam quidquam boni & commodi per totum, quantus quantus est, mundum habebimus expectare. Ira siquidem, ubi frena illi laxaueris, velut citatis

Fertur equis auriga, neque audit currus habenas,

in furorem abit, & cum ea nihil recte fieri, nihil considerate potest, ut inquit Tullius *Lib. I. de Officiis*. Et alter cum libidine scopulus periculosus est, in quos deuitandum est, ne humana vita illabatur, iudice Natale Comite, *Lib. VIII. Cap. XXIII.* cuius elegantissima verba, huc quoque quoad iram facientia videsis supra *Cap. II. Obs. I.* Hanc

neque Noricus

Deterret ensis, nec mare naufragum;

Nec saeuus ignis, nec tremendo

Iuppiter ipse ruens tumultu,

velut Horatius *Lib. I. Carm. Od. XVI.* canit.

Quin

Hh

tumens

- - - - tumens spumanti feruida rictu
 Sanguinea intorquens suffuso lumina felle,
 Ut belli exsortem teloque & voce laceffit
 Impatiensque moræ conto petit, impetit ore,
 Hirsutas quatiens galeato in vertice cristas,
 Poeta Christiano, Prudentio Lib. III. *Psychomach.*
 canente; Cui concinit Claudianus hoc
 de *Iracundo* carmine:

In iaculum quodcunque ferit dementia mut-
 tat.

Omnibus armatur rabies pro cuspide ferri.
 Cuncta volant, dum dextra ferox in vulne-
 re seuit.

Pro telo geritur, quidquid suggesserit ira.

Quare cum ira non faciat, quod rectum est co-
 ram DEO, pronunciante Iacobo Cap. I, 10. o-
 mni modo abstinendum ab ea esse, non modo
 Sacris admonemur Oraculis; verum etiam mul-
 tis tristissimisque incommodis deterreri nos o-
 portet, quæ non tantum in alios, sed etiam in
 autorem redundant. Nam, Marone teste, Lib.
 II. *Aneid.*

- - - - furor iraque mentem
 Precipitant,

ut nihil confiderate prudenterque norit agere
 iratus. Exemplum nobis vere insanum reli-
 quit Seneca Lib. I. de *Ira*, Cap. XVI. in Cali-
 gula, Cesare Romano, qui iratus cælo, (verba
 eius

eius sunt) quod obstrepet pantomimis, quos imitabatur studiosius, quam spectabat, quodque commessatio sua fulminibus terreretur, prorsus parum certis: ad pugnam vocavit Iouem, & quidem sine missione Homericum illum exclamans versum: ἢ μὲ ἀνάνειε, ἢ ἐγὼ σε, Iupiter, aut tu me tolle, aut ego te. Putavit, aut sibi nocere ne a Ioue quidem posse, aut se nocere etiam Ioui posse. Recentius vesaniae talis exemplum Pexenfelder Symb. LXXVI. ex Pauli Zehentner Verme malae conscientiae Lib. III. Cap. I. refert de Hispano quodam aleatore, (Hæc gens cæteroquin iræ pertinacissima est, & crudelitatis modum exacerbata nescit, uti documenta illustria apud Sleidanum ad Ann. 1527. Lib. VI. de statu Reipubl. Paulum Iouium, Erasmus Lib. XXII. Ep. 25. & maxime Ducis Albani sauitia apud alios, prostant) Hic ubi ei lusus infelicitate cessisset, furore amens domum venit, expedire arma cœpit; pectus lorica, caput galea, cætera quoque membra ferro & chalybe munire. Moxe inscensu equo, properat in forum fulminabundus; & quia in confertum hominum cuneum incidit, rogat, si quisquam præsens foret Numinis assertor & amator, protinus arma indueret, & eques aperto campo congredere, demonstraturum se, nullum in cælo esse DEVM, quem vereri debeat. Momento adfuit vindicta: aduolauit vespæ, per fenestratæ galeæ foramen penetravit, tantoque cum doloris sensu fronti effroni vulnere inflixit, ut

blasphemus prouocator capiti detraheret galeam, sese abiiceret humi, faciem telluri apponeret, ad hostilem furorem declinandum. Cum ne sic a se amoliretur malum, denique insolentissimus thraiso, abiecto supercilio, imbelli hosti herbam porrexit, & clara voce gembundus, DEVM esse, confessus est, iustum commissi facinoris ultorem. Lege sis, beneuole Lector, plura cit. loc. hanc in rem utilia; & confer Valer. Maximum Lib. IX. Cap. III. Insuper etiam corpori membrisque propriis magnam noxam iratus infert. Quomodo enim in urbem importata quedam feruissima & immanissima bellua, quamdiu quidem continetur in factis carceribus, etiamsi efferetur, & vociferetur, neminem poterit ledere: quando vero ira dominatus inualuerit, perfractis, que interiecta erant, repagulis, & poterit exire, omni tumultu & conturbatione replet ciuitatem, & omnes abigit: Ita etiam in bile; quamdiu quidem continetur suis finibus, nobis nullum magnum facit malum: postquam autem rapta, que eam continebat, membrana, nihil vetat, quo minus de cetero in uniuersam diffundatur naturam, tunc, etiamsi sit res admodum parua in quantitate, propter exsuperantem in qualitate virtutem, omnia alia elementa suo inficit vitio. Nam & inuenio sanguine, qui est propinquus, & loco & qualitate efficiens acriorem, qui est in illo, calorem, & quidquid est propinquum, ad ea, que est in humore, symmetria & moderatione, terminos tran-

transiliens, & bilem reddens: his freta auxiliis
 deinceps etiam in alia bellum gerit, & deinde
 cum omnibus suam indiderit amaritudinem, mu-
 rum efficit hominem, & facit expirare, animam
 expellens. Apprime commodum isthoc est si-
 mile de bile, iracundiæ fonte, disertissimi Pa-
 trum, Chrysofomi, *Homil. XV. in Epist. ad E-
 phesios.* Quod si iam contingat, ut impotens
 iste iracundiæ impetus mentem inuadat, rectæ
 statim rationis ductum præsentis animo sequen-
 dum, & aliquantum temporis spatium hosti ac
 mora prudenti consilio præscribenda, donec,
 quid æquum sit, eo moderatius agi queat. At-
 que ita ira admittenda est in mentem, ut non
 domicilium ibi figat, sed si per anticam intromis-
 sa fuerit, paulo post per posticam exesse iubeatur,
 uti venuste loquitur Ioh. Contr. Dürrius in E-
 thica sua Paradigmatica P. III. Sect. II. Cap. VII.
Aphor. I. §. XIX. & allegat salubria tum Ethni-
 ci Philosophi, *Athenodori*, tum Christiani san-
 ctique simul Patris, *Ambrosii*, monita: quorum
 ille ab Augusto, Imperatore, discessurus, ei, sa-
 piens aliquod dictum in memoriam petenti, sic
 consuluit: *Cum ira te inuaserit, nihil prius di-
 xeris, & feceris, quam viginti quatuor Græca-
 rum Literarum elementa animo repetieris;* ex
 Plutarch. *Apophth. p. 349.* Hic autem Theo-
 dosio, Imperatori, autor fuit, ut conscriberet
 Legem, qua executiones sententiarum de sup-
 plicis hominum in diem usque trigesimum dif-
 ferret,

ferret, ut interea pœnitentiæ aut misericordiæ
 spatium superesset, ex Sozomen. *Lib. VII. Cap.
 XXIV.* Nec desunt exempla eorum, qui ea
 ipsa de causa, quod irati essent, noluerint pœ-
 nas a merentibus sumere. Quale idem Dür-
 rius *loc. cit. §. XVI.* ex iisdem Plutarchi A-
 pophthegmatibus allegat, quod *Charillus, La-
 cedæmoniorum Rex*, dedit, cum *Helori* cuidam,
 ferocius se ipsi opponenti, responderit: *Per
 Castores, occiderem te, nisi irascerer.* Cui ge-
 minum est istud *Archytæ Tarentini*, insignis
 illius

- *maris & terræ, numeroque carentis a-
 renæ*

Mensoris,

(*Horat. Od. XXIX. Lib. I. Carm.*) quod, ne-
 gligentia villici sui, ob rura sua, se absente,
 correpta & perdita succensus, protulit: *Sum-
 sissimem*, inquiens, *a te supplicium, nisi tibi iratus
 essem*; atque ita *maluit impunitum dimittere,*
quam propter iram grauius iusto punire, ut re-
 fert ac iudicat *Valerius Maxim. Lib. IV. Cap. I.
 Exempl. extern. I.* Refert idem *Plutarchus in de
 liberis educandis commentario*: atque aliud de
Platone affert, quod ut & alia, videsis apud
 eundem *Valerium, loc. cit.* Tandem singula-
 ris iræ moderationis & abstinentiæ laudat ex-
 emplum *Chytræus in Carolo V. Imperatore,*
Orat. de eodem habita, ut qui nunquam ira-
 cundia peccasse datur. Vnde, cum de Lega-
 to

to Veneto accepisset, quod tarditatem & lenitatem suam culparet, Carolus nihil offensus, respondit: *Nunquam mundum respiraturum a bellis, si ea celeritate, quam res & caussa nonnunquam postulant, bellum statim moueret*: allegante laudato Dürrio, *loc. cit. §. XVI.* Qua in peculiari laude præuium habuit Theodosium, Imperatorem, de quo Nicephorus *Hist. Eccl. Lib. XIV. Cap. III.* hæc refert: *Iram, aieus, adeo in potestate habuit Theodosius, ut neminem eorum unquam, a quibus lesus fuisset, ultus sit, neque eum quisquam succensentem viderit*: atque aliquando ex familiaribus cuidam dicenti, neminem ab eo illorum morte mulctatum esse, qui iniurii ei fuissent, respondens: *Vtinam, inquit, eos in vitam reuocare possem, qui iam dudum mortui sunt.* Ad alium quendam, eadem prope referentem, dixit: *Nihil esse noui, si quis, homo cum sit, e vita excedat. Vnius autem DEI esse, eum, qui semel mortuus sit, per penitentiam ad vitam reuocare.*

II. Umbram huius de Æolo & eius vtre fabulæ discussurus Palæphatus noster, lucem veræ historiæ addit, refertque, gnarum *Astrologia* fuisse Æolum, ac Vlyssi tempora, quibus certum quidam venti adspirarent, prædixisse. Atque hæc *Astrologia* est illa stulta filia, quæ sapientem habet matrem, *Astronomiam* puta. Eam vero hic a nobis intelligi, monemus, *Astrologia* speciem, quæ siue ex diuerso corporum cœ-

lestium situ, aspectibus scilicet Planetarum, quos vel cum ipsa Luna, vel inter se mutuo efficiunt, e quorum numero sunt præcipui quinque isti, videlicet: Coniunctio (\oslash), Sextilis ($*$), Quadrans (\square), Trigonus (\triangle), & diametralis Oppositio (\oslash); *Sive* ex XII. domorum cœlestium figura, quam dodecatemoriã vulgo vocant, de rebus futuris & eventibus, de recens nati ingenio, virtutibus ac vitiis, vitæ termino, & omnibus eius fati, non dicam, probabili ratione, sed certo ac infallibiliter iudicare se posse, vane gloriatur; Bella itidem atque horrendas clades, varias rerum-publicarum mutationes, vt & ventorum, pluiarum, serenitatis & huiusmodi tempestatum vicissitudines, vere prædicere se nosse, pessime iactitat. Hinc videas impudentissimos scyphantas Principum etiam aulas circumcursitare, ac imperitis & vane credulis, virginibus præsertim ac mulieribus, themata sua gene-thliaca, vt ea de futuri coniugii felicitate, liberorum numero, diuitiis, honore, fortuna secunda, & aliis vitæ fati, tanquam oracula, consulant, magna diuinitatis specie offerre. Huius furfuris nebulonem Johannes Baptista Morinus, Astrologiæ & ipse propugnator acerrimus, æuo suo Parisiis se conspexisse, memorat. qui, licet præceptorum astrologicorum, quæ ipsi venditant, adeo esset imperitus, vt in sua XII. domorum figura vix trium signorum &

tot-

totidem Planetarum imagines apponeret; imo eiusdem signi aut Planetæ characterem in domibus oppositis sine ullo tempore collocaret: tamen, ea de re cum argueretur a me, inquit Morinus in *Præfat. Apologet. Astrologiæ Gallicanæ*, nebulo impudenter respondebat, suam Astrologiam non esse vulgarem, sed nouam, sibi soli cognitam: Sicque incautis illudebat, & aulas Principum Magnatumque domos frequentando, plus, quam viginti millia librarum lucratus, vel potius furatus est. Optandum autem, si Galliam modo hæc labe afflasset, & facile huic malo remedium parari posset; sed plura contagione sua Regna & Principatus corripuit; imo tanquam Disciplinarum Mathematicarum præcipua coli cœpit ac celebrari. Maxime autem virus suum exserit in Ephemeridibus, quas Calendaria vulgus vocat, libro profecto, si originem spectes, quo non sanctior alter, sed execranda hac superstitione mire hodie deprauato, quum Diei Dominico, atque historiæ sacre, e quatuor Viris petita, statim e regione diaboli hoc sterces adiectum cernitur. Et laudandus hic merito & immortalis elogio deprædicandus Pietatis Zelus *Abrami Calouii*, Theologi de orthodoxa fide meritißimi, qui publico edicto, ne scabiosa hæc scripta calendariographica in Circulo Electorali Saxonico, cui tanquam Superintendens Generalis præest, typis exprimerentur, serio ca-

uit. Eo etiam impietatis progressi sunt Astrologorum vari & maleferiati quidam, vt etiam Christianæ Fidei mysteria influxui astrorum subiicere non dubitauerint. Hinc Petrus Haliacensis diluuium Noe, & Hieronymus Cardanus Natiuitatem IESV CHRISTI, vt de aliis fileam, figura natalitia complexi, ex eaque de re gesta, & Saluatoris nostri ingenio moribus, actionibus & fatis acerbissimis, iudicium, non sine summæ impietatis nota formare ausi sunt. Vt non immerito Thuanus *Tom. IV. Hist. suæ* exclamet: *Quæ extrema amentia, imo impia audacia, astrorum commentitiis legibus verum astrorum Dominum ac Creatorem subiicere velle; quod tamen Cardanus, exarata Saluatoris nostri genitura, fecit!* Cardanum tamen in eo non modo sequi, sed & multis rationibus tueri non dubitauit laudatus Morinus, quando, non alio consilio Cardanum hoc fecisse, quam vt corporis, morum atque ingenii vires exploraret: num CHRISTVS, sicut cæteri homines, astrorum impressionibus fuerit obnoxius? citato loco asserit. Verum cum astrorum influxus, si lucem exceperis, nullus in hæc sublunaria detur, ceu pridem à summis Viris demonstratum est, quid iuuat hic talis, cum insigni piorum offensione, confingere? Sed esto, dari aliquas astrorum vires in voluntatem hominis, obsecro, an iuxta hypothesin mundi Copernicanam, an Ptolemaicam, aut

aut infinitas alias, illæ ipsæ astrorum vires, in Genethliacis determinandæ veniunt? An iuxta sex *latitudinum*, an vero iuxta sex *declinationum* circulos duodecim cœli domicilia, instituendæ? Quicquid hic garriant Astrologi, has eorum *tricas apinasque*, & si quid *vilius istis*, nequaquam moramur: Nullis enim innititur fundamentis, demonstrationibusque nullis Astrologia. Eiusdem etiam mentis est *Elias Thoma*, in ea *Vibe*, quam *Orbis lumen* Sigismundus Imperator salutabat, eius ipsius *Vrbis lumen fulgidissimum*, mitiores literas ibidem collustrans, quam verborum pondere hunc in modum expressit: *Reperire est, qui tantam fati sideri vim & potestatem venditant, ut humanas quoque actiones influxui & moderamini ipsius subiiciant, totamque adeo vitam & fortunas mortalium, a benignitate & malignitate siderum, Planetarum imprimis suspendant. Turpiter id quidem, & tantum non impie. Quis enim humanarum actionum quodammodo gnarus, non illa tantum, quæ in humano sita sunt arbitrio, verum etiam ea, quæ in beneplacito diuino consistere religio docet, cœli siderumque dominationi subiecta esse statuat, sibi que persuaderi patiatur, illum infantem, cuius natalibus Planeta Iupiter illuxit, beneficii stelle illius, diuitias longe maximas, honores amplissimas, pulchritudinem speciosissimam, sapientiam cumulatisimam, omnes denique mundi do-*

228

tes omnino, obtenturum. Quicumque sibi hæc ipsa persuaderi patiuntur, digni sunt, qui in Anticyram relegentur. Non est etenim vlla sideri fati vis, aut vllum cæli scirum atque necessitas, quæ suam cuique fortunam admetiatur, aut mores etiam inuiolabili lege imponat. Inanimata illa sidera, rerum euentus, nullatenus præsciunt, multo minus certis semper indiciis futura significant: inde etiam est, quod astrologorum prædictiones semper dubiæ & incertæ, multoties etiam fallaces & mendaces sint. Progr. de Planetis 1682. Wratisl. edito. Ac verendum est, ne propter vanitatem hanc & impietatem, quarum se reos faciunt Astrologi, DEI tandem iram grauisissimam, quam in se prouocant, experiantur. Valde enim ac nefarie tales in eo primum peccant, quod, quæ liberi DEI decreti, meræque voluntatis diuinæ sunt, necessario astrorum positu, concursu & influxu hæc ita euenire nugentur; atque cum Stoicis DEVM, eiusque sanctissimum liberrimumque Ordinem, fatali rerum necessitati alligent. Deinde, quando futura contingentia, quæ soli DEO cognita perspectaque sunt, sibi suæque ex astris cognitioni, quod ab improba temeritate proxime abest, adscribunt. Demum, quando talia impio nisu & præfractio conatu obseruant, quæ DEVS in Lege sua obseruare, multoque magis formidare, seuerè interdixit. Sic enim apud Ieremiam *Cap. X,*

2. diserte prohibet, dicitque Ioua: *Gentilium morem ne discite, neue caelestia signa formidate, quod ea Gentes formident. Nam populorum instituta vana sunt.* Qui mores autem quæue instituta Gentilium fuerint, ipse DEVS passim in Scripturis exponit. Quæ vero hanc in rem faciunt, ea grauisimis seuerisque summus iste sanctissimusque Legislatoꝝ verbis concepit, Deut. XVIII, 9. seqq. vbi ita pronunciat: *Cum in terram veneritis, vobis a Ioua DEO vestro datam, ne discitote illarum Gentium scelera imitari. Ne quis inuenitor in vobis, qui suum filium filiamue per ignem traiciat: neue aruspex, hariolus, augur, prestigiator, astrologus, Pythii consultor, magus aut necromantis: nam inuisus & abominabilis Iouæ est, quisquis ista facit; & istorum scelerum causa Ioua DEVS vester vobis illos expellit. Integri estote erga Iouam DEVM vestrum. Nam ille quidem Gentes, in quarum vos possessionem venitis, hariolis & aruspibus obtemperant; at vobis non ita permittit Ioua DEVS vester. Capitales autem pœnas, quam eiusmodi hariolis magisque sanxit, legimus Leuit. XX, 6. & 27. vbi, qui eos sequitur & imitatur, de numero populi sui extirpandum dicit, & siue sit vir, siue mulier, capite plectitor, lapidator, & pœnas dato. Nec minus seueræ & horrendæ sunt minæ, quas Esaias Cap. XLVII, 12. 13. 14. habet, vbi DEVS inquit: *Sta, queso, cum*
Astro-*

Astrologia tua, cumque istis tot prestigiis, in quibus a pueritia elaborasti, si quid possis proficere, & præ multitudinem tuorum consiliorum fatigata, corroborari. Adsint sane, teque defendant, cæli ventilatores, contemplatores siderum, ex nouis lunis diuinantes, a tuis futuris casibus. Illi vero stipularum similes igni comburentur, ne seipsos quidem a flamma tutantes. Plura hac de re videsis apud Virum πολυμαθέστατον Ioh. And. Schmidt, in dissert. de Themate Christi Natalitio, in hac Salana instituta. Adi quoque multis in hac occupatum Martinum Delrionem, Tom. II. Disquisit. Magicar, Lib. IV. Cap. III. Quest. I.

III. Superest adhuc in nostra historia ænei Æoli muri, urbem eius circumdantis, de militibus armatis, qui mœnia eius custodierunt, explicatio, paucioribus tamen expedienda. Omnino enim *militēs strenuī ac fortes, exercitati & in primis fideles, munimentum & propugnaculum sunt totius Regni ac Regis Principisque ipsius.* Atque huc valet descriptio militis, ab Epicteto in colloquio cum Hadriano data, quod sit *murus imperii: defensor patriæ: gloriosa seruitus: potestatis indicium.* Vtraque autem, fortitudo & fidelitas adsit vna oportet, cum illa sine hac ne hili quidem æstimanda sit, quod in sua cum Nerone interlocutione Seneca sapienter effert; vbi ille: *Ferrum tuetur Principem*, ait; hic verò: *melius fides*, subiicit,

cit, Vid. Senecæ Tragedi, quæ ipsi adscribitur, Octavia, *Act. II. Scen. II.* cæteroquin actum cum Regno, Rege ac Principe omni est. Sed ad fortitudinem recte comparandam & strenue exferendam milites nunquam non sunt exercendi. Quale quid Vegetius *Lib. I. de re militari Cap. I.* in Romanis militibus laudat, ubi ita infit: *In omni prælio non tam multitudo & virtus indocta, quam ars & exercitium solent præstare victoriam. Nulla enim alia re videmus Populum Romanum orbem subegisse terrarum, nisi armorum exercitio, disciplina castrorum, usque militia. Quid enim aduersus Gallorum multitudinem paucitas Romana valisset? Quid aduersus Germanorum proceritatem breuitas potuisset audere? Hispanos quidem non tantum numero, sed etiam viribus corporum nostris præstitisse, manifestum est. Aphrorum dolis atque diuitiis semper impares fuimus. Græcorum artibus prudentiaque nos vinci, nemo unquam dubitabit. Sed aduersus omnia profuit, tironem solertem eligere, ius (ut ita dixerim) armorum docere, quotidiano exercitio roborare, quæcunq; euenire in acie atque in præliis possint, omnia in campestri meditatione prænoscere, seuerè in desides vindicare. Scientia enim rei bellicæ dimicandi nutrit audaciam. Nemo facere metuit, quod se bene didicisse confidit. Etenim in certamine bellorum exercitata paucitas ad victoriam promptior est: rudis & indocta*

mul.

multitudo exposita semper ad cadem. Idem de Alexandri M. militibus e vero prædicat coram Dario Charidemus, apud Curtium *Lib. III. Cap. II.* Ita de Lacedæmoniis res in historiis manifesta est, eos roboris nomine ac strenuæ virtutis plurimis Gentibus admirationi fuisse atque formidini. Quare etiam nec urbem suam mœnibus cinxisse, leguntur. Hinc aliquando Agesilaus, eorum Rex, a non nemine, *cur Sparta muris careret?* interrogatus, *cives* commonstrans *armatos*, istos esse, respondit, *Spartæ muros.* Alteri etiam, hac ipsa de re percunctanti, respondit: *Urbes non lapidibus & lignis, sed virtute inhabitantium debere esse munitas;* vti Plutarchus memoriæ prodidit in *Laconicis Apophthegmatibus.* Hanc quoque belli postea calamitate Rex idem Agesilaus contra Thebanos, qui Epaminonda Duce, in Laconicam irruptione facta, urbem aggressuri erant, militibus, vt dicta exemplo confirmaret, muniuit; narrante eodem Plutarcho *in vita Agesilai, Cap. XIV.* Simile quid reperimus in *Chronicis Thuringiæ*, vbi Landgravius Ludouicus Friderico, Imperatori & Affini suo, ad se A. 1170. inuisenti, eiusmodi murum æneum & viuum, e Comitibus, Baronibus & Equitibus cataphractis circum arcem Numburgensem, mœnibus destitutam, construxisse legitur, vt mirum in modum Imperator isto spectaculo fuerit delectatus. Ita verum esse comparet, quod,

quod, si quis Imperator maxime strenuum militem habeat, etiam ipsa gerendorum armorum dexteritate, ipsa statione, ipso impetu hostem metu percellat, quæ sententia Divi Chrysoctomi est in *Homil. III. Epist. II.* ad Corinthios. Atque idem confirmat Regum ipsa militari copia quoque instructissimus, Salomon, dum in *Proverbiis Cap. XIV, 28.* In hominum inquit, multitudinesita est Regis majestas; in populo defectu occasus imperii.

CAP. XIX.

DE HESPERIDIBVS.

I.

PRæsentem de malis Hesperidum aureis fictionem, varie jucundeque ab aliis explicatam, supra in Notis ad hoc Caput dictum fuit. Confer. etiam Mich. Pexenfeldee in nunquam satis laudando *Ethica Symbolica* labore ac opore, *Addimento VII.* Nobis, instituta cum auro collatione, fabulæ una circumstantias observaturis, *Virtutem* generatim, atque ea præditos intelligere liceat. Ferunt autem, lunonem, cum Ioui nupsisset, multas pomos, que aurea mala producerent, in dotem Iovi dedisse; quæ apud Hesperides, Nymphas, a dracone pervigili qui centum habebat capita, variisque utebatur vocibus, custo dicebantur in horto amœnissimo, in extrema Æthiopiæ parte, ubi Atlas coelum sustinere humeris dicitur, ad occidentem, ubi loca fuerunt a sole exusta, arenisque obducta, & ob serpentum frequentiam infesta.

sta. Ipsum hortum autem Atlantem montibus undique cinxisse, fama est, quia Themis illi responderat, futurum esse, ut filius iovis aliquando accederet, & aurea mala caperet. Quod etiam Herculem, Iovis filium, effecisse, dracone occiso, & aliis monstris ac periculis superatis, nostra quoque fabula narrat. Vid. Natal. Comes *Mythol. Lib. VII. Cap. I. & VII.* Jam si *Virtutem* contemplemur, omnino eam è cœlis originem habere, atque à Deo dari concedique, certum est, qui etiam conantibus ad eam adspirare gratia sua potenti subvenit. Sed non nisi Iovis filio, i. e. iis, quibus mens erecta in cœlum est, & sublimia cogitat, non quæ humi serpit, & terræ velut affixa hæret, contingunt. Ut vero in amœnissima Tempe, in quibus aurea Virtutum mala proveniunt, peruenire liceat, ardua laborum multorum via est ingredienda, asperi per sudorem gressus promouendi, innumeræ aduersitatum molestiæ superandæ, contra vitiorum criminumque cumulum, quæ anguibus & viperis à Sapiente Viro perquam commode comparantur *Sir. XXII, 2.* decertandum, atque adeo draco ille centiceps, qui aditum ad hæc aurea mala non tam custodit, quam impedit prohibetque, conficiendus, ut ita tandem ad occasum horum monstrorum liceat eo pertingere, ubi cœlum velut humeris attingamus, Virtutumque gloriosos & pretiosissimos fructus decerpentes, iis per vitam omnem iucundissime fruamur. Atque hinc etiam cum *auro*, metallorum omnium nobilissimo ipsa
re.

rerum omnium præstantissima, *Virtus*, quam elegantissime comparatur. Quemadmodum enim aurum in inferis terræ meatibus delitescit, & ab iis, qui illud eruere norunt, vbi divitem aliquam eius senserunt venam, quidquid artis est & quidquid laboris, impenditur, ut in lucem inde proveniat; ita *Virtus*, ab humilitate, quæ omnium *Virtutum* fundamentum recte appellatur, primordia sua capiens, altius atque altius in sublime provehitur, ut conspicua fiat omnibus. Et ipsa rebus quibusuis longissime præstat, velut aurum inter metalla præstantissimum habetur. Quod *Isidorus Pelsiota* suo confirmat calculo, dum *Lib. II. Ep. 13.* in hunc sensum scribit: *Qui virtutem contubernalem habet iis, qui ipsius expertes sunt, tantum præstat, quantum homines belluis, & angeli hominibus antecellunt.* Sed tamen laudata hujus metalli nobilitas non prius æstimari potest, quam ignis ardorē sustineat, in eoque perduret: haud aliter *Virtus*, nisi in adversis, cognoscitur, & periculis obiecta perficitur. *Ipsis enim DEVS consuluit, quos esse quam honestissimos cupit, quoties illis materiam præbet aliquid animose fortiterque faciendi.* At quam rem opus est aliqua rerum difficultate, inquit *Seneca Lib. de Provid. Cap. IV.* Et tunc omnium maxime æstimatur, quando manifestum sui Periculum fecit. Quod instar Prouerbii *Greg. Nazianzenus* effert *Lib. III. Sentent.*

- - *Aurum flamma bonos adversa probabunt.*

Perdurat autem ipsum aurum in igne, nec vllum
 Ii 2 vnquam

vnquam vel naturæ, vel ponderis, vel præstantiæ suæ imminutionem patitur: neque vel terra defossum rubeiginis iniurias admittit: ita etiam constantem & immutatam semper faciem Virtus tenet, nec vnquam a studio suo dimouetur, nec deficit, aut marcescit vnquam. Præclare in rem S. Augustinus *Libr. de Jacobo & vita beata, Cap. II. X.* *Manet, inquit semper inter aduersa & delectabilia Virtus perfecta, neque aduersa de perfectione eius quidquam minuunt, neque delectabilia adiungunt perfectioni.* Cui geminum est illud laudati Isidori *Lib. III. Epist. 89. Virtutem, aientis, nihil est quod adequet: non modo quia incomparabili quadam exsuperantia res omnes alias antecellit, sed etiam, quia res quoque minime planas & equabiles complanat, & eas, que minime equæ sunt, exæquet.* Nam nec in paupertate deprimitur, nec in seruitute illiberalia ministeria & officia sustinet, nec in dedecore contrahitur. Eodemque modo nec in opibus & copus insolescit, nec in imperio & magistratu animis attollitur, verum his omnibus scientiam suam adhibens ea componit ac moderatur, non iis obsecundans, sed ea ut artis suæ ductum sequantur, adducens. — — *Quid ea pulchrius? Quis splendidiora opera nouit? Quam ea, que rerum inequabiles status per suam philosophiam complanat, eundemque in disparibus rebus animum seruat, luculentamque ac celebrem sibi ipsi gloriam conciliat: atque eos quidem, qui in calamitates cadunt, consolatur; eos autem; qui ob florentem statum in contumeliam atque insolentiam prolabuntur, castigat & coercet.* Enimvero sicut omnium rerum impropriis suis natu-

tu-

talibus quædam vilitas est; ita etiam auro accidit, ut apud Æthiopes & Indos vilipendatur, & illis quidem catenis conficiendis, quibus scelerati & facinorosi constringantur, inserviat; hi autem etiam pro exiguis leuissimisque rebus, speculisque & crepundiis pene dixerim, magna purissimi auri frustra permutere, leguntur apud rerum Indicarum scriptores. Idem Virtuti contingere nonnunquam, quinimo per sæpe videmus ut in patrio, solo, ubi Viros sui amantes invenit, flocci habetur, ac postremo ponatur loco, quod historiarum monumenta in Cimone, Themistocle, Alcibiade, Socrate, Scipione, aliisque faciunt testatum. Quo de supra iam actum est. Sed tamen & horum aliorum, Virtuti nec invidia civium, nec dens malevolorum Theonum, nec ipsa, in quæ conjiciebantur, pericula obstare potuerunt, quin illustrior semper ac decantatior evâserit, atque alios non tantum in sui admirationem, sed etiam imitationem pellexerit, eosque claros etiam & fama immortales effecerit. Perinde uti de auro legimus, quod majorum sortiatur splendorem, si dente lupino extergatur & fricetur, atque a solis radiis illuminatum majore ac genas vicinas fulgore soleat collustrare. Ac denique quemadmodum idem iucunda suavitate se possidentes ac utentes delectare solet; ita etiam talis est Virtutis natura, ut non in presentia modo fruentem demulceat atque delectet, sed in omnibus temporis partibus latitiam representet. Nam & vite transactæ memoria cum, qui id assecutus est; & præ-

sens vita, dum per Virtutem transigitur, & expectatio retributionis & remunerationis delectat: quam remunerationem non aliam quandam esse, puto, quam ipsam rursus Virtutem, quæ & corpus recte faciendum est, & premium recte factorum existit, eliganti sententia Gregorii Nysseni Orat. IV. de beatitudin: Nec minus eleganter & christiano vere sensu Ethnicus Cicero, sub Catonis persona Lib. de Senectute, loquitur, quando, Aptissima, inquit, omnino sunt arma senectutis, artes exercitationesque Virtutum: quæ in omni ætate cultæ, cum multum diuque vixeris, mirificos afferunt fructus; non solum, quia nunquam deserunt, ne extremo quidem tempore ætatis; (quanquam id quidem maximum est) verum etiam, quia conscientiam bene actæ vitæ multorumque benefactorum recordatio incundissima est. A deo nunquam non est, Silio canente,

Virtus sibi met pulcherrima merces!

Vid. infra Cap. XXXVII.

II. Egregium quoque documentum nobis in hac fabula pariter atque detecta història relictum est: Nihil videlicet, quod pulchrum est & pretiosum, tam tutum bene defensumque ac munitum esse posse, cui non insatiabilis potiundi cupiditas, etiam periculosis sæpe conatibus, insidias struat, ut, quod in votis est, efficiat obtineatque. Hic enim aurea mala, præaltis & præruptis montibus cincta, & à dracone pervigili custodita; nec non oves, quæ pulcherrimæ fuisse laudantur, in rapinam Herculi cesserunt. Huic nostræ sententiæ longe plura exempla lucem addunt clarissimam. Sed pauca
des

delibabimus. Fama & integritate vitæ agenda nihil vnquam mortalibus pretiosius est, aut profecto esse debet, ut etiam *paricum vita passu ambulare* dicatur. Sed tamen ei detrahere, ægre facere, eam labefactare, quam multi sunt, qui summo studio, imo odio & inuidia proximum, allaborant. Sic adultores optimis insidiari, *Plutarchus* erudite, vti solet, differit in *Moralibus* suis, speciatim in *Commentario*, qui inscribitur: *Quomodo possit adulator ab amico internosci?* Vbi paulo post initium ita mentem suam exponit: *Quemadmodum teredines lignis innascuntur potissimum teneris atque dulcibus; ita fere generosa ingenia, & frugi atque placida, adulatorem recipiunt aluntque adherescentem.* Atque, ut *Simonides* ait, equos alendi studium non leuiter comitari, sed agris frugiveris: ita videmus, adultores non pauperibus se adiungere, aut ingloriis & plebiis; sed magnarum familiarum rerumque ampliarum ruinam hanc morbumque esse, qui sepe etiam regna imperiaque subuertit. Quare non paruum est negotium, neque providentia indigens exigua, ita lationem considerare, ne, cum adeo sit agilis, amicitiam ledat, aut criminibus obnoxiam reddat. Etenim pediculi morientes deserunt, abeuntque ab eorum corporibus, extincto, quo alebantur, sanguine, sed nunquam omnino videbis adultores eo se conferre, ubi res sunt accise, & homines frigent; ubi gloria est & potentia, eo aduolant, ibique augentur, & mutante fortuna, celeriter diffluunt. Porro castitatem & pudicitiam, quæ vel ipsa vita charior & maior esse debet, adeo

multos habere, certum est, infidiatores cum claudestinos, tum etiam manifestos qui obtutibus blandis, mellitis vocibus, crispis flauisque capillis, donis, largitionibus, ornatu corporis, vetulis interpretibus, aliisque illecebris; aut, ubi hæc nihil efficere videntur, nimis etiam & vi, eam tentare, & in partes suas pertrahere non verentur; vti nefanda docent monumenta. Quam in rem Poëtæ Danaen, filiam Acrusii, Regis Argiuorum, ferreis conclusam locis, tamen a Ioue, in aureum, commutato imbrem, & per tecta in sinum Danaes delapsam, violatam esse, finxerunt. Vt adeo tam solícite obseruari & custodiri nequeat, quin insidiis sit exposita, & iacturam faciat, maxime ubi splendida donaria accedant, pudicitia. De quo negotio ita Horatius *Lib. III. Carm. Od. XVI.* canit:

*Inclusam Danaen turris abenea
Robustæque fores, & vigilum canum
Tristes excubie, munierant satis
Nocturnis ab adulteris:*

*Si non Acrusium, virginis abdita
Custodem pauidum, Iuppiter & Venus
Risissent: fore enim tutum iter & patens,
Conuerso in pretium Deo.*

*Aurum per medios ire satellites,
Et pererrumpere amat saxa, potentius
Ictu fulmineo.*

Quin & ipsum aurum, & aliæ res pretiosæ suas insidias habent, vti quotidie comperimus. Hinc, argue

gute Alphonsum, Arragoniæ Regem, *cur aurum palleret?* rogatum, respondisse legimus: quod sibi ab insidiatoribus, quos multos habet, metuat. De ciuitatibus & præsiidiis tam amplis, quam munitis, res sole meridiano clarior est, adeoque pretium operæ non erit, vt facem ei accendamus. Facimus a. inf. C. XXV Obs. II.

III. Vltorius ex historia ovium, ab Hercule abactarum, notabimus *superborum simul & potentiorum hominum in pauperes, imbelles & invalidos morem insolentem ac minime laudandum.* Cum enim benigna natura reliquis animalibus bene prospexerit, ut singulis arma sua dederit, quibus aduersam vim repellere valeant: solas ouiculas iis carere atque destitui voluit. Hoc pluribus, sed eleganter, prosequitur *Erasmus in Chiliadibus*, sub Adagio: *Dulce bellum inexpertis*: vbi sic scribit: *Ceterorum animantium unumquodque suis. (natura, vel potius DEUS) instruxit armis. Taurorum impetus armavit cornibus, Leonum rabiem unguibus, Apris fulmineos dentes affixit, Elephantos cutem & molem promuscivæ quoque tutatus est. Crocodilum crustis, velut laminis, communiuit. Delphinis, teli vice, pinnas addidit. Histricem spinis, Raiam aculeis defendit. Gallis calcar affixit. Alia testis, alia corio, alia cortice communiuit. Sunt, quorum incolumitati pernicitate prospexit, veluti columbis. Sunt rursus, quibus venenum, teli vice, tribuit. Addidit his speciem terram & belluinam, addidit oculos truces, vocis stridorem.* Haftenus ὁ πᾶν Erasmus. *Oves autem non valens unguibus, non dentibus, non cornibus, non calci-*

bus

bus

bus: Et licet arietes sint cornuti, sicut quibusdam locis omnes oves sunt cornute; tamen animus & ferocia ipsis deest & omnes oves sunt timidissimæ, & non crudeles, sed misericordes; etiam cum catulos habent, non faciunt. (Franz. *Histor. animal. Part. I. Cap. XXII.*) Et licet oves sint alias animalia ex affe mortalibus maxime utilia; nunquam tamen non quam plurimis incommodis, Periculis & infidiis sunt exposita, ut præda fiant hominibus & bestiis, & in primis a lupis vel maxime impetantur. Idem de miseris & omni fortuna destitutis liceat hominibus pronunciare. Quibus nulla calamitas sola est; & omnibus modis, qui pauperes sunt homines, misere vivunt, e sententia Plauti in *Rudent.* ita, ut a maioribus alto supercilio despiciantur, irrideantur, an vili æstimentur? affligantur, & innumeras alias sustinere cogantur offensas. Hinc non inconcinne Epictetus, in colloquio cum Hadriano Imperatore, ad quæsitum: *Quid est homo pauper?* respondit: *Quem ut puteum desertum omnes despiciunt, & suo loco illum relinquunt. Et Saluianus, ille seculi Ieremias, Lib. V. de Providentia exclamat. Infelicissimi pauperes, sic sunt, quasi inter concertantes procellas in medio mani positi, nunc istorum, nunc illorum divitum fluctibus obruuntur.* Quod eleganti Emblemate in Sardis, piscibus, qui etiam, ubi in infimis undis tutum sibi quærere & inuenire locum, putant, ab Auratis assiduas patiuntur insidias, ac deuorantur; ubi vero ad superiorem aquarum partem emergunt, mox a Fulicis & Mergis rapiuntur, & in escam ipsis cedunt; sequentibus expressit *Alcivius* versibus *Emblem. CLXIX.*

Pesci-

*Pisciculos Aurata rapit medio equore Sardas,
 Ni fugiant pauide summa marisque petant.
 Ast ibi sunt Mergis Fulicisque voracibus esca.
 Eheu intuta manens undique debilitas!*


Cuius rei sensum erudito, ut omnia alia, discursu exponit, dum ita scribit: *Ut nullo non loco ditiores, & qui sunt fortuna, ampliore, tutum in presidium se recipiunt: ita miseri, & aliqua parte infirmi homines, precipites in exitum ruunt, quocumque fugiant: nam ubi e suorum lapsi telis ad exteros venerint, ibi misere periclitantur & occidunt. Ut non inanes sint Theognidis querelæ apud Stobæum Serm. 96. Vab clamentis, misera paupertas! quid meis incumbens humeris, dedecore tum corpus afficis, tum mentem meam? Sed vero, uti pauperes tolerandi, & id quidem ex instituto divino Prov. XXII, 2. Dives & pauper contrarii sunt, & utriusque tamen conditor est Iova; ita nequaquam sunt contemnendi, multo minus affligendi; sed omni modo iuuandi & subleuandi; atque id quoque ex supremi Domini & Numinis interdicto gravissimaque comminatione pariter atque severo mandato; quæ Regum sapientissimus, iuxta & iustissimus Salomon consignata nobis reliquit, Prov XIV, 31. Qui tenui facie injuriam, dedecorat ejus Contitorem, eundemque honorat, qui miseretur Pauperis. Prov. XVII. Qui Pauperem deridet, ejus Conditorem vituperat. Conf. Prov. XXII, 22. 23. Ipsius sanctissimi Legislatoris verba exstant Exod. XXII, 21, Lev. XIX, 33. 34.*

FINIS.

Faint, illegible Latin text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in approximately 25 lines.

Faint text at the bottom of the page, possibly a signature or a date.







Handwritten blue ink markings, possibly a signature or initials, located in the upper center of the page.

3
ULB Halle
005 834 058


VD 17







DOCTRINÆ
MORALES

AD

PALÆPHATI
INCREDIBILIA



F E N Æ,
APUD Johannem Meyerum.
ANNO M. DC. LXXXVII.

